



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus XXVI. De Præscriptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

TITULUS XXVI.

De Præscriptionibus.

Præscriptionis nomen in Jure dupliciter sumitur. 1. Latè & generaliter, prout idem est, ac Exceptio, de qua Tit. præc. & patet ex ff. & C. de Except. & Præscript. 2. Strictè, & specialiter pro Exceptione Peremptoria, per quam bonæ fidei possessor post legitimi tem-

poris decursum contra dominum, si hi rem suam pristinam repetat, aut pristino suo jure uti velit, excipit, & possessionem, certo tempore à Legibus definito continuatam, opponendo repellit. Et in hoc sensu ad Tit. præsentem spectat. Sit igitur

S. I.

De Natura, Varietate, & Origine Præscriptionis.

SUMMARIUM.

1. Definitio Præscriptionis.
2. Discrimen ab Usucapione.
3. Varietas.
4. Quo Jure sit introducta?
5. Effectus ejusdem est acquisitio dominij.
6. 7. Non tantum utilis, sed etiam directi.
8. 9. Lex Præscriptionis est justa.
10. 11. 12. Et prodest etiam in conscientia.

13. 14. 15. 16. Ita, ut restituere rem præscriptam præscribens non teneatur.
17. Quis possit præscribere?
18. Quis non possit?
19. Contra quos præscribi non possit?
20. Exceptiones.
21. 22. Renunciari Præscriptioni potest.
23. Requisita ad legitimam Præscriptionem.

Quæritur 1. quid sit Præscriptio, & quomodo ab Usucapione differat? *Re* est adjectio, sive acquisitio dominij, vel quasi, aut alieni Juris sive realis, sive personalis peremptio per continuationem possessionis, tempore, & modo à Legibus, vel SS. Canonibus definito. Ita passim DD. assumentes definitionem Usucapionis à Modestino l. usucapio 3. ff. de usucap. & usurpat. traditam, eamque Præscriptioni accommodantes: qui etiam passim has voces inter se confundunt. Qui discrimen inter Præscriptionem, & Usucapionem moribus hodiernis concedunt aliquod, non aliud agnoscunt, quam quale est generis à specie, quoddam Usucapio propriè tantum res corporales, Præscriptio autem præter has etiam incorporales afficiat. Ex quo nascitur discrimen alterum, quoddam Usucapio sine possessione, ut Etymon nominis ipsummet demonstrat, non procedat; ita procedat autem non rarò Præscriptio, si sc. tendat ad res incorporales, quarum non datur vera, sed tantum quasi possessio.

Si tamen magis propria, & primaria istorum nominum significatio attendatur, Usucapio à Præscriptione distinguitur, sicut causa ab effectu; quia Usucapio est ipsa dominij per continuationem possessionis legitimam acquisitio; Præscriptio verò est Exceptio, quæ priori domino rem suam reposcenti opponitur, & ideo opponenti comperit, quia ex pristina possessione dominium illius acquisivit. Bene autem notandus est modus loquendi diversus, cum aliquid Præscriptione acquiritur, & cum per eam jus

alterius extinguitur; nam cum Jus alterius extinctum esse significare volumus, solemus loqui in dativo, sc. *præscriptum est obligationi, Juri, vel Actioni*; si autem de acquisitione sermo sit, utimur Nominativo, vel Accusativo v.g. *Præscripta est servitus, vel Præscripti rem, Jurisdictionem &c.*

Quæritur 2. quotuplex sit Præscriptio? *Re* alia est Ordinaria, seu longi temporis, alia Extraordinaria, seu longissimi temporis, alia denique Immemoralis, Præscriptio Ordinaria est, quæ completur tempore ordinario 10. aut 20. annorum. Extraordinaria, quæ perficitur tempore extraordinario, videlicet 30. aut 40. annorum. Immemoralis denique illa dicitur, quando possessio tamdiu duravit, ut initium ejus hominum memoria excedat.

Quantum temporis ad hanc ultimam requiratur, determinatè dici non potest; certum enim est, non semper sufficere tempus annorum 100. quia possent esse aliqui ultra 100. annos, & contrarij meminisse: item certum est, non universim requiri 100. annos; quia constat impositiones, quas Nobiles à subditis suis accipiunt, longè minoris esse temporis, quæ tamen dicuntur esse temporis immemoralis. In genere igitur, ut aliqua Præscriptio dici Immemoralis possit, requiritur tale tempus, ut dici possit initium illius hominum memoria excedere. Ubi iterum notandum est non obesse, quin adhuc dici immemoralis Præscriptio possit, et si constet possessionem aliquam non fuisse ante longissima quædam tempora, ut 200. 600. aut

aut 1000. annorum; sed adhuc manebit immemorialis possessio, modò initium illius memoriam fenum, qui modò sunt, etiam ex auditu, & traditione antecessorum suorum excedat: pro exemplo Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 76. n. 3.* adducit Majoratus in Hispania, quos omnes, aut ferè omnes constat cœpisse post tempora Principis Pelagij, qui Hispanias à Saracenis primus cœpit vindicare, & tamen Præscriptio illorum immemorialis dicitur.

4. Quæritur 3. quo Jure, & quam ob causam Præscriptio sit introducta? *R.* Introducta est primùm Jure Civili, dein approbata per Jus Canonicum. Primum patet *princ. Inst. de Usucap.* & indicatur etiam *l. traditionibus 20. C. de pact. l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Alterum constat ex toto hoc Titulo, & subiectis huic textibus. Causæ, & motiva introducendi Præscriptionem potissima fuerunt. 1. Ne passim longo tempore dominia rerum confusa, & incerta essent *l. bono 1. ff. de Usurp. & Usucap.* 2. Ut lites faciliùs terminarentur *l. fin. ff. pro suo*: quæ penè immortales fierent, si post quancunque temporis possessionem à possessoribus bonæ fidei rem suam domini possent repetere. 3. Ne possessores continuo timore rem amittendi tenerentur *l. cum notissimi 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* unde fieret, ut fundos possessos nemo auderet colere, vel si coleret aliquis, negligenter eisdem coleret timens, ne non ibi, sed alijs laboraret. 4. Ut hac ratione exciteretur hominum desidia, & ipsi ad sua Jura prosequenda, & curandas res suas efficerentur cautiore, dum vident negligentiam puniri ademptione dominiij *c. vigilantij 5. b. tit. & l. ut perfectius 2. C. de annal. Except.* Patet igitur ex omnibus his causis Præscriptionem inductam ob bonum publicum, nec enim leviter ad hoc inservit, si quis sciat, quid suo sit sub dominio, si, quod sub dominio suo habet, diligenter custodiat, si lites non nimium multiplicentur, & quæ ortæ sunt, non immortales sint &c.

5. Quæritur 4. quis sit Effectus Præscriptionis? *R.* hoc desumendum ex objecto ejusdem, & distinguendum, an Præscriptio fiat ita, ut præscribatur obligationi, Juri, vel actioni, an verò ita, ut præscribatur ipsa res, Jus, servitus &c. Si primum, beneficio Præscriptionis acquiritur præscribenti libertas ab obligatione, servitute &c. Si secundum, acquiritur eidem dominium vel quasi Hæc extra dubium sunt.

Disceptatur inter DD. quale dominium consequatur præscribens, an utile solum, an verò etiam directum? Et quamvis faciliè concedant omnes Præscriptione acquiri plenum dominium rerum mobilium, in immobilibus tamen distinguunt inter dominium directum, & utile, & primum quidem Præscriptione acquiri negant, conce-

dunt de posteriore. Ita Gloss. in *l. traditionibus C. de pact. & Auth. nisi tricennali C. de bon. matern.* Bartol. *ibid.* Bald. *de præscript. 2. part. 3. partis princ. q. 2.* Abb. in *Rub. b. t. n. 4.* Felin. *ibid. n. 3.* & alij plures, quos refert Cævallos *Opin. comm. contr. commun. q. 252.* & Covar. *reg. possessor p. 3. princ. de R. J. in 6.* Moventur 1. textu *l. si duo 13. S. Julianus 1. ff. de Jurejur.* ubi Ulpianus, Julianus, inquit, ait eum, qui juravit fundum suum esse, post longi temporis Præscriptionem etiam utilem actionem habere debere. 2. Quia res mobiles faciliùs, ac firmiùs acquiruntur *l. possideri 3. S. Nerva filius 13. ff. de acquir. vel amitt. poss. 3.* Quia Præscriptio est actionis exceptio. Igitur supponit illum contra quem fit exceptio, habere jus agendi, quod exceptio vult elidere. Sed hoc jus nequit esse utile; hoc enim omnium confessione possessori competit. Ergo est Jus directum, & cons. Jus directum ad possessionem non transit.

Sed verior est sententia, quæ affirmat utrumque Jus acquiri à præscribente, utile, & directum. Ita Decius in *l. traditionibus cit. C. de pact.* Covar. *l. cit. à n. 2.* Fachin. *l. 1. contr. c. 70. in fin.* Molin. *tr. 2. D. 61. circa fin.* Less. *l. 2. de Just. c. 6. n. 51.* Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. S. 2. n. 6.* Haun. *tom. 1. tr. 5. n. 168.* & seqq. Wagn. in *Rubr. b. tit. not. 3.* Pirh. *hic n. 6.* & alij plures apud Cævallos *l. cit.* ubi addit ab hac opinione non recedendum in judicando, & consulendo. Ratio est, quia Lex humana ex justa causa potest transferre dominium, non tantum utile, sed etiam directum, prout faciliè concedunt DD. & hoc fecisse in præsentī casu satis clarè colligitur 1. ex pluribus Juris utriusque textibus, præsertim *can. Clerici 11. caus. 16. q. 3. l. usucapio 3. ff. de Usurp. & Usucap. l. acquiruntur 10. S. non solum 2. ff. de acquir. rer. dom. ubi dicitur Præscriptione acquiri dominium, neque distinguitur inter dominium utile, & directum, inter quæ utique Leges istæ fecissent discrimen, si voluissent in præscribentem transferri tantum dominium utile. 2. Quia in dubio potentior significatio est assumenda, & ea, quæ magis est propria *arg. c. siquem 59. de sent. Excomm. l. queritur 10. ff. de stat. hom. l. domum 57. ff. de contrab. empt.* atqui appellatione dominiij potius dominium directum, utpote præcipuum, venit, quam utile *l. agri 1. S. qui in perpetuum 1. ff. si ager vectigal. vel Emphyteuticar. petat. ergo &c.* 3. Quia alias finis intentus non obtineretur; neque enim lites ita sopitæ essent, ut non faciliè resuscitari possent.*

Argumenta in contrarium allata nullius sunt ponderis. Ad 1. constat clarè ex textu sermonem ibi esse non de rei vindicatione, quæ convenit ratione Præscriptionis, sed de actione, quæ convenit ratione præstiti Juramenti, quæ est actio in factum.

Acce-

Accedit, quia in Jure non est infrequens actionem utilem nominari, non prout opponitur directæ, sed prout idem est, ac efficax actio: & ita sumitur *l. si cui 1. §. ult. in fin. ff. de aqu. plu. arcend. & l. si quis diuturno 10. princ. ff. si servit. vindic.* Ad 2. etsi ratio illa Legislatorem potuisset inducere ad distinguendum in hoc dominium directum ab utili, non tamen movit, sed contentus fuit discrimine temporis, quo præscriptio mobilium completur, quod brevius est, quam immobilium. Ad 3. exceptio præscriptionis est exceptio solum facti, non Juris; neque enim antiquus dominus verum jus agendi habet, cum exceptione succumbat, sed si agat, solum quoad apparentiam videtur actionem habere.

Quæritur 5. an justa sit Lex Civilis per Præsumptionem dominium transferens à domino rei ad non dominum ejusdem? Videtur non esse justa; nam 1. videtur pugnare cum Jure gentium; dominium enim singulorum descendit à Jure gentium *l. ex hoc Jure 5. ff. de J. & J.* at Jus Civile non potest tollere Jus gentium *§. sed naturalia 11. Inst. de J. N. G. & C.* ergo &c. 2. Alienum est à Jure naturali aliquem privari re sua absque ejusdem culpa. Hoc fit per Præscriptionem. ergo &c. 3. Ipse Imperator injustitiam ejus agnovit, dum Præscriptionem appellat *impium præsidium*, & improbam temporis allegationem, ut habetur *Novell. 9. princ. & habeat.* 4. Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, ut habet *Reg. 11. ff. de R. J.* ita fieret, si Præscriptio transferre posset dominium, domino ignorante, aut alia ex causa impedito, ne rem suam persequi possit. 5. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura, ut dicitur *Reg. 48. in 6.* & concordat *Reg. 206. ff.* hoc fit, si usucapiens dominium alienæ rei acquirat. ergo &c. 6. Tempus non est modus introducendæ, vel tollendæ obligationis *l. obligationum 44. §. circa diem 1. ff. de O. & A.* Præscriptio autem omnem vim habet ex cursu temporis, ergo &c.

Sed his non obstantibus, justissime latam esse Legem Civilem de Præscriptionibus constat ex rationibus allatis *num. 4.*

Ad Rationes oppositas non est difficilis solutio. Ad 1. Jus gentium, quod dicitur nemini auferendam rem suam, etiam dicitur, ut pareamus Reip. adeoque etiam Legi, quæ Præscriptionem induxit ob bonum publicum. Ad 2. alienum est à Jure naturali aliquem absque sua culpa privari re sua, si privatio poenalis sit, conceditur; si Legalis sit ob bonum publicum introducta, negatur. Ad 3. putant aliqui Constitutionem istam esse suppositivam: sed non est huc necessarium deveniendum; quia Imperator loquitur de illis temporibus, quibus alioquin currebat Præscriptio etiam cum mala fide.

Ad 4. Regula illa locum non habet in ijs, quæ vi, ac potestate Legis fiunt. Accedit, quia ex præsumptione Juris consensisse censetur in talem translationem, qui tanto tempore negligit rem suam persequi, ut colligitur ex *l. alienationis 28. ff. de V. S.* Neque refert, quod præscriptio subinde compleatur ignorante pristino domino; nam eo casu consensum, & scientiam domini supplet Resp. ob bonum publicum dominium in possessorem transferens. Ad 5. Principium illud intelligendum est de locupletatione injusta, non de ea, quæ Legis auctoritate, & ex justa, ac publica causa fit; nam ob publicam causam Lex, cum sit domina rerum, potest uni dominium auferre, & illud transferre in alterum: unde de injuria prior dominus non potest conquiri, sed sibi imputare debet, quod intra statutum tempus rem suam inquirere, & à possessore recuperare neglexerit. Ad 6. Præscriptio non habet vim transferendi dominium ex solo cursu temporis, sed ex possessione continuata per tempus Lege definitum cum justo titulo, & bona fide.

Quæritur 6. an Lex Præscriptionis etiam proit in foro conscientie? Negant Joan. Andr. in *reg. possessor 2. in 6.* Alciat. in *l. quinque pedum princ. C. fin. regund.* Rosell. *Summ. V. præscriptio*, & alij apud Gloss. in *c. vigilantis 5. V. noverit h. tit.* & Covar. in *reg. possessor cit. p. 3. §. 2. n. 1.* quibus ex parte consentiunt Adrian. in *4. de restit. quæ de præscript. §. mihi autem.* Medin. *C. de restit. q. 16. & 18.* juxta quos ad valorem Præscriptionis requiritur negligentia domini in repetenda re sua à bonæ fidei possessore. Fundantur 1. *c. vigilantis cit.* ubi indicatur Præscriptionem introductam esse in poenam negligentie, & desidia prioris domini. Ergo saltem, si prior dominus negligentiam, & desidiam nullam commisit, per Præscriptionem re sua non privabitur. 2. cum ignorantia nemo censetur suam jactare *l. cum de indebito 25. ff. de Probat.* imò ignorantia æquiparatur impedito *l. male agit 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* sed contra impedium agere non currit præscriptio *l. super 1. §. fin. C. de amal. except.* 3. Lex fundata in Præsumptione, si falsa hæc sit, in foro conscientie locum non habet. Talis est Lex Præscriptionis; quia fundatur in negligentia prioris domini, quæ iste persæpe caret, utpote ignorans rem suam esse, vel eam ab alio possideri.

Sed dicendum Præscriptionis beneficium etiam prodesse pro foro conscientie. Ita contra *citt.* & paucos alios antiquiores communiter TT. & JC. ii omnes, nominatim Gloss. *V. noverit cit.* Sylv. *V. Præscriptio 1. q. 13.* Covar. *cit. n. 1. & seqq.* Azor. *p. 3. l. 1. c. 16. q. 3.* Molin. *de J. & J. tr. 2. D. 61. n. 6. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 6. à n. 50.* Laym. *l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 3.* Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. §. 2. n. 3.* Vall. *hic §. 4.*

§. 4. n. 8. Zael. *ibid.* n. 10. Pih. n. 6. König n. 4. Wiest. n. 5. §. 6. Ratio est, quia Resp. ob dominium altum, quod ipsi in bona subditorum omnium confessione competit, potest, quando id bonum commune exigit, dominium illorum auferre pristinis dominis, atque illud transferre in alios. Atqui rationes n. 4. allegatæ probant esse de bono communi Reip. per Præscriptionem auferri dominium pristino domino, & illud transferri in possessorem, ergo potest ita transferre. sed si translatum est dominium in possessorem, iste eo ipso tutus est in conscientia. ergo &c.

12 Ad fundamenta adversæ sententiæ facilis est responsio. Ad 1. etsi Præscriptio introducta sit ad vitandam dominorum segnitiam, non tamen hæc est unica, & præcipua causa, sed ne lites multiplicentur, ne dominia maneant incerta &c. igitur etsi nulla intervenerit negligentia in pristino domino, modò stent reliquæ rationes, beneficium Præscriptionis non cessat. Deinde, etsi negligentia pristinorum dominorum esset unica, & principalis causa introducendæ Præscriptionis; quia tamen Lex Præscriptionis universalis est, & in finem universalem tendit, adhuc manet, etsi in casu aliquo particulari cesset ejusdem ratio. Ad 2. jam dixi n. 9. in ignorante consensum ad alienationem per Præscriptionem faciendam suppleri à Reip. quæ ob bonum publicum dominium in præscribentem transfert. Neque refert, quod in particulari aliquo casu Præscriptio ad salutem Reip. non esset necessaria; sufficit enim ad tale jus præscribendi inducendum, quòd universim ad cavendas Reip. perturbaciones, litésque noxias, & acuendam subditorum industriam sit necessarium; inde enim jam descendit obligatio ad quosvis etiam casus particulares, uti fieri solet etiam in alijs Legibus. Ad 3. Lex præscriptionis fundatur in bono publico, ob quod inducta est: & hinc etiam non extante negligentia prioris domini, si cætera requisita adsint, dominium in præscribentem transfert.

13 Quæritur 7. an is, qui præscripsit rem aliquam, casu, quo post completam præscriptionem cognoverit rem alienam fuisse, teneatur ad illam restituendam? Videtur teneri 1. quia Jus naturale dicitur, rem domino vero esse reddendam. 2. Præscriptio fundatur in bona fide, quâ possidens rem alienam suam esse credit. ergo saltem, si deinde constet rem esse alienam, cessabit præscriptio; quia tum cessat bona fides, quæ fundamentum est Præscriptionis. 3. Is, cui res adjudicata est per sententiam Judicis subnixam falsa præsumptione, tenetur ad restitutionem. Ergo etiam præscribens, si deinde constet rem ipsius non fuisse. 4. Etsi lex infra dimidium læsis actionem denegat, tamen in foro conscientie manet obligatio restitutionis. Igitur pariter manebit obliga-

tio restituendi rem præscriptam, etsi Jus contra præscribentem rei vindicationem denegat.

Sed standum pro negativa. Sequitur 14 ex n. 5. quia beneficio Præscriptionis præscribens dominium rei præscriptæ accepit. Proceditq; hoc non solum, quando prior dominus in custodienda re sua, aut vindicanda negligentiam aliquam commisit, sed etiam, quando nulla ex parte ejusdem in re sua inquirenda, aut vindicanda negligentia intervenit, ut AA. n. 11. allegati docent cum Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 5. n. 164. & seqq. Quod etiam triplex persuadet ratio; nam 1. si Leges inducentes Præscriptionem præcisè voluissent punire negligentiam dominorum, & sic ex talis negligentie præsumptione procederent, essent Leges perniciosæ potius, quàm utiles Reip. præterquam enim, quòd sciri sæpe non possit, an revera Adversarius commiserit negligentiam, præberetur per eas ansa innumeris occultis compensationibus, quorum primum illaquearet conscientias infinitis scrupulis, alterum apertam præberet januam fraudibus, dum quisque fingeret rem suam fuisse, & sic occultè eam sibi vindicaret, cum apertè illam non possit. 2. Quia sic esset Lex tantum pœnalis: quod tamen latis apertè falsum est; nam Lege pœnali, communiter saltem, non amittitur dominium ante sententiam. Atqui Præscriptio simul, ac peracta est, dominium adimit, & in novum possessorem omnino transfert, ergo &c. 3. Quia negligentia ista in re sua servanda non est, nisi venialis, quæ non meretur ablatione rerum puniri.

Ex quo ulterius sequitur, pristinum 15 dominium non posse rem sic præscriptam à præscribente repetere, etsi possit legitime demonstrare se prius fuisse ejusdem dominum; nam dum alter eandem præscripsit, ipse amisit ejusdem dominium. Imò si is, qui Præscriptionem complevit, per errorem, & facti, vel etiam Juris ignorantiam rem ita præscriptam restituit, ratus adhuc alienam esse, tenetur alter, cui restitutio facta est, eandem reddere, & præscribens eandem, tanquam indebitè datam, potest repetere, atque ut suam vindicare; neque enim per solutionem ex errore factam dominium rei acquisitum præscribenti amittitur. Addidi per errorem & Juris ignorantiam; nam si restituit is, qui dominium Usucapione in se translatum scivit, & nulla vi, vel dolo ad restituendum inductus fuit, certum est eundem non posse rem restitutam revocare, ut bene advertit P. Wiest. *hic* n. 11. & ratio est, quia ita restituens rem donasse, aut Præscriptionis Jure cessisse videtur.

Neque obstant Argumenta adversa 16 sententiæ. Ad 1. postquam res est legitime præscripta, non amplius est aliena, ut ex dictis patet, sed dominium ex dispositione Juris translatum est in possessorem. Igitur

Ecc

dein-

deinde non amplius retinet ut alienam, sed ut suam. *Ad 2.* scientia superveniens Præscriptioni jam completæ malam fidem non facit; quia non est scientia rei alienæ, sed propriæ, quæ fuit aliena. *Ad 3.* imprimis Judex per sententiam suam non intendit transferre dominium, sed solum declarare, cujus ex litigantibus res sit: unde si sententia fundetur in falsa præsumptione, ipsa quoque non tenet, nec est servanda in conscientia: at verò Lex, vel Princeps per Præscriptionem intendit transferre dominium rei in præscribentem, ut sæpe dictum est: deinde, ut iterum ex dictis patet, Præscriptio non nititur præsumptione negligentia prioris domini, sed exigentiâ boni communis. *Ad 4.* negatur paritas; nam quando infra dimidium læso Lex actionem negat, solum negativè se habet, non assistendo eidem in Judicio; in Præscriptione autem positivè approbat, dominium adijcit, & possessorem securum reddit.

17 Quæritur 8. quis possit præscribere? *1.* in genere præscribere possunt illi omnes, qui possunt rem alienam proprio nomine possidere, & dominium acquirere. Ita Azor *p. 3. l. 1. c. 19. q. 1.* Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. §. 3. n. 1.* Pax Jordan. *l. 14. tit. 24. n. 136.* Eckolt *de Usurp. & Usucap. §. 8.* Valens. *hic §. 7. n. 1.* Pirh. *n. 9.* König *n. 5.* Adeoque

Præscribere potest **1.** non solum Patremfam, sed etiam *Filiumfam.* quoad bona Castrensa, quasi Castrensa, & Adventitia *l. sequitur 4. §. usucapere 1. ff. de Usurp. & Usucap. & ibi Gloss. V. §. maxime.* Azor. *q. 1. cit. cum cæteris supra.* **2.** Pupillus, Tutore auctore, imò etiam sine illius autoritate, modo animus usucapiendi habeat *l. sequitur cit. §. pupillus 2. & ibi Gloss. V. animum possidendi;* nam ut Martianus *l. pupillus 11. ff. de acquir. rer. domin. ait, Pupillus, quantum ad acquirendum, non indiget Tutoris autoritate.* **3.** Infans: sed hic Tutoris autoritate indiget, cum sine hoc possidere nequeat. Hinc disparitas est inter infantem, & pupillum; nam pupillus, si sit doli capax, animus usucapiendi habere potest, & ideo ad præscribendum Tutoris autoritate non indiget; infans autem, cum usu rationis careat, animus usucapiendi habere nequit, & idcirco, ut *l. quamvis 32. §. infans 2. ff. de acquir. vel amit. possess. dicitur, iudicium infantis suppleri debet autoritate Tutoris.* **4.** Furiosus: in quo tamen distinctione est opus; nam illud tantum usucapit, quod ante furorem possidere cœpit *l. sequitur cit. §. furiosus 3. & ibi Gloss. V. usucapit.* Ratio est, quia non desinit possidere, & præsumitur manere in priori voluntate, nisi constet ante furorem retrahasse. At inchoare Præscriptionem non potest furiosus; quia cum usu rationis, & libertate arbitrij careat, animus acquirendi habere non potest. Idem dicendum de

amente quovis, & carente usu rationis: hic tamen, Curatore auctore, siquem habet, potest præscribere.

Contra præscribere nequeunt **1.** *fu-rosi, & amentes* in casu modò exposito. **2.** *Servi;* quia nec possidere suo nomine possunt *l. sequitur cit. §. servus 4. & l. qui in servitute 118. ff. de R. J. sine possessione autem non currit Præscriptio, ut infra dicam. **3.** Clerici non possunt præscribere bona suorum Beneficiorum *can. Clerici 11. caus. 16. q. 3.* **4.** *Præcarid rem possidens, Usufructuarius, creditor rem sibi pignori datam, & omnes alij, qui non suo, sed alieno nomine possident, usucapere, seu præscribere nequeunt.* Gloss. *in can. Clerici cit. V. in Jus proprium,* Azor *q. 5. Pax Jordan. n. 137. cit.* **5.** Denique universim loquendo, qui non est capax acquirendi domini, vel possessionis, usucapere non potest, cum Usucapio sit species alienationis *l. alienationis 28. ff. de V. S. in omni autem alienatione iusta tam ex parte alienantis, quam acquirentis requiritur capacitas acquirendi.* Tholos. *Synt. Jur. univ. l. 40. c. 3. n. 2.* Pax Jordan. *n. 136.**

Quæritur 9. contra quos præscribi 19 non possit? *1.* contra omnes illas personas præscribi nequit, quæ non possunt stare in Judicio, vel agere, vel Jura sua tueri, vel administrare bona sua. Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. §. 3. n. 3.* Pax Jordan. *l. 14. tit. 24. n. 236.* Ratio est, quia contra hos in attentante Præscriptionem vel non est bona fides, vel non adest titulus sufficiens, vel obsunt aliæ causæ impediennes Præscriptionem.

In specie præscribi non potest contra Pupillum ratione minoris ætatis, contra filium, dum adhuc est in patria potestate, ratione subjectionis, contra captivum ratione captivitatis, contra Prodigum, quia bonorum suorum administrationem ei ademit Resp. & universim adversus omnes illas personas, quibus Jurium suorum alienatio interdita est: & ratio est, quia alienationis quædam species Præscriptio est, ut *n. præc. in fin. dixi.* Igitur non est rationi consonum, ut qui alienare non potest, contra eum præscribi possit, ne quod unâ viâ prohibetur, alterâ admittatur.

Triplex tamen casus excipiendus est **20** ab ista doctrina. **1.** Si præsumptio malæ fidei purgetur per bonam fidem accipientis; nam tunc etiam contra prædictos præscribi potest, non quidem tempore ordinario, sed extraordinario **30.** vel **40.** annorum, ut dicitur *l. fin. C. communia de Legatis.* **2.** Si possessor ejusmodi bona habeat ab aliquo tertio, qui bona fide concessit eadem possessori præfenti; tunc enim iste præscribere illa possit tempore ordinario, ut notat Pal. *n. 3. cit.* **3.** Si Præscriptio prius est inchoata, antequam bona præscribenda hujusmodi prohibitione affecta essent, Pal. *l. cit.*

Quæ-

21 Quæritur 10. an Præscriptioni renun-
tari possit v. g. pacto, ne res præscribatur?
Negat Bartol. in l. nemo 55. ff. de Legat. 1.
Greg. Lopez. l. 1. tit. 29. p. 3. ex ratione;
quia Præscriptio inducta est propter bonum
publicum, ne dominia rerum incerta sint.
Sed Juri publico derogare nemo potest l. Jus
publicum 38. ff. de pact. ergo &c. Conf. ex
l. de die 14. ff. de pact. dotal. ubi non permit-
titur pactum, quo dos mulieris deterior fiat,
tametsi causa dotis utilitatem privatam, &
communem simul respiciat, ne sc. mulieres
indotatae sint l. dotium 1. ff. solut. matr. igitur
nec circa Præscriptionem pacisci licitum erit,
ut aliqua res præscribi nequeat; nam & Præ-
scriptio, ut dictum est, ob bonum publicum
introducitur.

Sed contrarium merito docuit Dynus
in l. nemo cit. Ripa ibid. n. 105. Gutier. in
ejus repetit. n. 470. Pal. tr. 31. D. un. p. 22.
§. 1. n. 6. & probabile admittit Pirh. hic n.
3. Rationem dant, quia Præscriptio prima-
riò, & principaliter inducta est in commo-
dum, & favorem privatorum, & secunda-
riò solum ob bonum publicum. At quæ
primariò inducta sunt in bonum privatorum,
renunciari possunt. Ergo &c.

22 Controversia aliqua in hac ratione
moveri potest, an verum sit, quòd Præscrip-

tio solum secundariò inducta sit ob bonum
publicum, quod aliquibus cum Pirhing vi-
detur difficile asserere. Sed quidquid de
hoc sit, certum videtur, quòd in Præscriptio-
ne utilitas privata separari possit à publica;
nam posito pacto, ne res aliqua præscribatur,
dominium illius non manet incertum, sed
reservatum est primo possessori, & penes
eundem manet. Hinc

Ad Argumentum oppositum dico, per
ipsum Pactum de non præscribendo utilita-
tem privatam à publica separari; quia eo pa-
cto posito, finis cessat, ob quem præcipue
inducta Præscriptio est, ne sc. incerta sint re-
rum dominia. Ad Conf. negatur paritas;
nam in dote utilitas privata à publica separari
non potest.

Quæritur 11. quæ requirantur ad le-
gitimam Præscriptionem? 1. quinquè ma-
ximè requisita DD. enumerant. 1. Ut res
ipsa sit præscribilis. 2. Bona fides. 3. Ju-
stus titulus. 4. Possessio legitima. 5.
Tempus lege definitum. Quæ omnia his
versibus continentur.

*Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
Possideas justè, completo tempore Legis.*

De singulis agendum in particulari: &
hinc fit.

§. II.

Quæ res præscribi possint, vel non possint?

SUMMARIUM.

24. Præscribi possunt res omnes, nisi Jure pro-
hibeantur.

25. Excipiuntur Res Sacrae.

26. Religiosæ, & Sanctæ.

27. Publicis usibus deputatæ, & Liber homo.

28. Res communes, & ea, quæ sunt mere sa-
cultatis.

29. Beneficia Ecclesiastica, & Jura Spiritualia
quoad Laicos.

30. Jure positivo prohibentur præscribi Limites
Parochiarum, & Episcopatum.

31. Jura Majestatis.

32. Ea, quæ ad Supremam Principis potesta-
tem pertinent.

33. Res Pupillorum.

34. Tempore ordinario præscribi nequeunt Res
Ecclesiarum, saltem immobiles.

35. Bona Principis cum distinctione.

36. Feuda.

37. Res furtivæ, aut vi possessæ.

38. Res Minorum, & Civitatum.

39. 40. 41. Res alienari prohibita cum distin-
ctione.

24 DE his Regulae instar est, præscribi, &
usucapi posse omnes res corporales,
sive mobiles illæ sint, sive immobiles, nisi
Lege aliqua, vel speciali ratione prohibean-
tur usucapi, vel præscribi. Sylv. V. Præscrip-
tio 2. q. 1. Host. Sium. h. tit. de Usucap. n.
4. Tholof. l. 40. c. 2. n. 1. Pirh. hic n. 11.
Res incorporeales, ut Jura, Servitutes, Actio-
nes, sicut propriè possideri non possunt, ita
nec præscribi, vel usucapi, sed tantum quasi,
sicut tantum datur eorum quasi possessio.
Quia tamen utilitatis causâ introductum est,
ut res incorporeales quasi possideantur, hinc
fit, ut etiam quasi usucapantur, sive longo
tempore, & usu acquirantur. Host. l. cit. Di-

xi autem, Nisi Lege aliqua, vel speciali ratione
prohibeantur usucapi; sunt enim, quæ præ-
scribi non possunt, duplicis generis: & ali-
qua quidem præscribi nequeunt naturâ suâ,
alia Legis dispositione; & horum quidem
aliqua omnino præscribi non possunt, alia
præscribi solum prohibentur tempore ordi-
nario.

Quæritur 1. quæ res naturâ præscribi
nequeant? 1. generaliter naturâ suâ præ-
scriptionem refugiunt, quæ non sunt in ho-
minum commercio, seu bonis privatorum;
si enim nemo earum dominus esse potest,
quomodo præscribere illas poterit, cum præ-
scriptio sit adjectio dominij l. usucapio 3. ff.
de usurp.

Ecc 2

de usurp. & usucap. In particulari præscribi non possunt.

1. *Res sacræ*, quæ ritè, & solenniter Deo sunt consecratæ, & Sacris usibus applicatæ, uti sunt calices, vestes, & Ornamenta Sacra, Altaria, Tempa, Sacella, Cœmeteria, Monasteria, & alia loca Sacra, & Religiosa §. *sed aliquando 1. Inst. de Usucap. & l. usucapionem 9. ff. eod.* Ratio est, quia non est præscriptio sine possessione. atqui res, & loca Sacra non possumus possidere *l. qui universas 30. §. possessionem 1. ff. de acquir. & amit. posses.* Quod si tamen res Sacra profanaretur, præscriptionem admitteret *l. cum loca 36. & ibi Gloss. ff. de Relig. & sumpt. funer.*

26 2. *Res Religiosæ*: quales sunt Sepulchra, sive loca, in quæ corpus, & ossa hominis illata sunt, ut ibi perpetuò maneat §. *religiosum 9. Inst. de rer. divis. & l. usucapionem cit.* Hodie tamen non est opus speciali exceptione; cum enim nunc non amplius, ut olim, locus, ubi corpus humanum conditur, cujusvis voluntate Religiosus fiat, sed Episcopi autoritate Cœmeteria consecrantur, idcirco sub nomine rei Sacræ jam continentur. Bene etiam notat König *hic n. 8.* licet ipsum Cœmeterium præscribi non possit jus tamen Sepulchri præscriptione acquiri posse; quia etiam possideri à privatis potest *l. vel quod 6. ff. de Relig. & sumpt. fun. & statuitur expressè l. monumentorum 6. C. eod.*

3. *Res Sanctæ*: quales sunt, quæ speciali sanctione ab injuria, & violatione hominum sunt defensæ, ac munitæ §. *sanctæ quoque 10. Inst. de rer. divis. l. sanctum 3. ff. eod. l. usucapionem 9. ff. de usurp. & usucap.* Inter res sanctas connumerantur muri, & portæ Civitatum, quas violare capitale est §. *sanctæ cit.* Item Imperium Romano-Germanicum, quod ideo in vernacula dicimus *das Heilig Römische Reich. König n. 9.*

27 4. *Res publicis usibus deputatæ*, ut sunt forum, via publica, fons, pons, theatra, stadia, scholæ, curiæ, porticus &c. *l. usucapionem cit. & l. præscriptio 6. C. de operib. public.* Idque verum est, etiam si iis populus uti defuerit *l. viam 2. ff. de via public. & itin.* quia satis est, quod eis uti possit, & ad eum finem fuerint assignatæ.

5. *Liber homo*, qui nullo tempore præscribi potest, ut fiat Servus, licet possessor illum bona fide emerit putans esse servum §. *sed aliquando 1. Inst. de Usucap. l. usucapionem cit. & l. fin. C. de long. temp. præscript.* Econtra Servus contra dominum præscribere libertatem potest, si per 20. annos bona fide etiam sine titulo se gesserit pro libero *l. fin. cit. & ibi Gloss. V. bona fide, & V. per 20.* idque favore libertatis statutum est. Addit Pirh. *hic n. 12.* juxta alios sufficere decennium inter præsentis, ne deterior sit conditio libertatis, quam aliarum

rerum, & quia saltem in alijs Legibus conceditur brevius tempus ad præscribendum præsentibus, quam absentibus.

6. *Hæreditas*, vel alia *Res communis*: hanc enim, antequam inter hæredes, vel socios divisa fuerit, unus eorum præscribere nequit contra reliquos cohæredes, vel socios, etiam si longissimo tempore eam possederit, quin eis reddere debeat portiones suas *l. si communem 10. ff. quemad. servit. amit.* Ratio est, quia non suo tantum, sed omnium cohæredum, vel sociorum nomine censetur rem communem possidere.

7. *Res mera facultatis*, h. e. quæ citra obligationem, aut conventionem cujusque libero arbitrio relinquuntur *arg. l. viam publicam 2. & ibi Gloss. ff. de via publ. & itin.* Ratio est, quia quæ hujusmodi sunt, cum sint meri facti, nihil Juris ponunt, cui præscribi possit; antequam autem fiant, in rerum natura non sunt. Accedit, quia non decet, ut beneficium vertatur in debitum. Proceditque hoc, sive per actum aliquem positivum aliquid tale factum sit, sive per omissionem actus, quem alias ponere quis potuisset. Primi exemplum est, si consuevit aliquis in molendino alterius molere, cum potuisset in altero; secundi, si altius quis domum suam non ædificavit, cum jus haberet altius ædificandi: Nam primus, etsi 100. annis frumentum suum tulisset in aliquod molendinum, per hoc tamen non contrahit obligationem, ut non alibi molat; alter, etsi altius domum non erexerit, non tamen per hoc amittit potestatem altius ædificandi, nisi aliquando ædificare volentem vicinus prohibuerit, & is de hac ædificatione cessavit; tunc enim amisit hoc Jus, ut bene Engl *hic n. 9.*

8. *Beneficia Ecclesiastica*, si Titulum præscribens non habeat; quia sola Canonica Institutione, & autoritate Superiorum obtinentur *c. beneficium 1. de R. J. in 6. c. ex frequentibus 3. de instit. c. contingit. 9. de dol. & contum.* Neque obstat *c. cura 11. de Jur. patron.* ubi prohibetur, ne quis ex donatione Laicorum Ecclesias aliquas sibi vendicare, vel retinere præsumat sine autoritate, & consensu Episcopi, nisi legitima fuerit præscriptione munitus, & cons. supponitur Ecclesiam, seu Beneficium per Præscriptionem acquiri posse; nam dicendum ibi sermonem esse de Ecclesijs, non in Beneficium, vel Titulum, sed in proprietatem concessis, uti textum illum explicant Abb. & Barbosa *ibidem*, ac post hos König *n. 11.* Colligitur etiam ex eo, quia *c. cit.* scriptum est non tantum ad Clericos, sed etiam ad Monachos, & Monasteria, quæ Beneficia in Titulum habere non possunt. Deinde in textu dicitur, ne ex donatione Laicorum quisquam Ecclesias vendicare præsumat. atqui donatio facta loco Religioso intelligitur non in Beneficium, sed proprietatem facta *c. con-*
sulta-

fulcationibus 4. de donat. Addidi, si Titulum præscribens non habeat; nam si Titulum coloratum saltem possessor habeat, & per triennium pacificè Beneficium tale possederit, possessio hæc ei proderit, si non ad proprietatem Beneficij, quod multi contendunt, saltem ad exceptionem, si tamen adfit bona fides; nam aliàs nec in foro interno tutus est, nec in externo tolerandus.

9. A Laicis præscribi non possunt Jura Ecclesiastica, & Spiritualia, e.g. jus eligendi, aut conferendi Beneficia Ecclesiastica, Jus cognoscendi, & judicandi causas Ecclesiasticas, & Clericorum &c. quia à Laicis possideri nequeunt c. causam 7. h. t. Hinc etiam mille anni transierint, Laici ejusmodi Jura non præscribent. Jura, dixi; nam bona Ecclesiastica, quæ Sacra non sunt, præscribi à Laicis possunt, sed indigent longiori tempore.

30 Quæritur 2. quæ res Jure positivo simpliciter præscribi nequeant? R. 1. simpliciter præscribi vetantur *Limites Parochiarum*, & *Episcopatum*, ac quæ hujusmodi limitibus coherent, modò sufficienter constet illos fines fuisse præfixos *can. quicumque 4. & duobus seqq. caus. 16. q. 3. c. super eo 4. de Parochijs*, & c. quia 9. h. tit. Ratio est, ne termini Provinciarum &c. confundantur. Extenditur hoc etiam ad limites Ducatum, & Comitatum, ut vult Hofstiensis apud Molin. tr. 2. D. 79. n. 7. Dixi *Limites Parochiarum* &c. nam limites prædiorum, seu agrorum Ecclesiasticorum 40. annis præscribi possunt, ut aliæ res Ecclesiasticæ immobiles *can. volumus 2. junct. Gloss. V. fines caus. cit. q. 4. & c. quia cit.* Imò ipsa etiam terra, ubi limes Parochiæ, vel Diocesis positus est, quoad proprietatem præscribi potest, ut rectè notat Engl *hic n. 3.* modò adhuc limes maneat in sua ratione limitandi, & nihilominus fines Episcopatus, vel Parochiæ designet. Similiter non prohibetur Præscriptio Jurium Episcopatum circa certas Ecclesias in aliena Diocesi; item Præscriptio Decimarum in aliena Parochia, si fiat salvis de cætero limitibus. Addidi in Responsione, *Modò sufficienter constet illos fines fuisse præfixos*; nam si dubij forent limites, melior judicaretur possidentis conditio.

31 2. Jura Majestatis, seu quæ Principi, Imperatori, Regi debentur, & competunt in recognitionem Supremi Principatus, & universalis dominij, ac subjectionis eidem debite *l. comperit 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Ratio est, tum quia Princeps illa ne expressa quidem conventionem diminuere potest; tum quia eorum Jurium reliqui extra Supremum Principem incapaces sunt. Hinc nulla temporis Præscriptione acquirere quis potest immunitatem Vectigalium, & Tributorum, quæ Principi penduntur in recognitionem Supremæ Majestatis, & subjectionis; & quamvis quantocumque tempore petita non fuerint à Principe, Jus tamen per

hoc Princeps ad ea petenda non amittit. Dixi, *Quæ penduntur in signum Supremæ Jurisdictionis, & dominij*; ea enim, quæ referuntur Principi solum in signum specialis Dignitatis, & Privilegij, ut sunt potestas legitimandi, restituendi famæ, creandi Notarios, cudendi monetam, indicendi Tributa pro expensis alicujus belli, vel simili aliqua necessitate publica, per inferiorem acquiri possunt Præscriptione 40. annorum cum titulo, sine titulo tempore immemoriali *l. ff. publicanus 4. §. in omnibus 2. ff. de Publican.* Abb. in c. ad audientiam 13. h. t. n. 18. Lessl. l. 2. c. 6. n. 41. Pirh. *hic n. 20.* König n. 19. cum alijs.

3. Ea, quæ ad Supremam Principis potestatem spectant; nam contra hæc à nullo subdito, qui se subditum fatetur, præscribi potest, ita, ut Legibus Principis non obligetur, vel ut ab eo non coërceatur, quando ratio, & Justitia ita exigunt, aut ut ab inferioribus Judicibus non appelletur ad Supremum Judicem. Covar. in Reg. possessor p. 2. §. 2. n. 7. Molin. tr. 2. D. 74. n. 3. Pirh. König *l. cit.* Dixi, *Qui se subditum fatetur*; nam, et si per Præscriptionem fieri non possit, ut subditus manens subditus exemptus sit ab ijs, quæ Principi ratione supremæ potestatis competunt, v. g. ab ejus imperio, Tribunali, Judicio &c. potest tamen mediante præscriptione ex subdito fieri non subditus, & eximi ab ejus potestate, prout multi Principes, qui olim erant subiecti Romano Imperatori, præscribendo libertatem exempti sunt. Nemo tamen per præscriptionem, imò etiam per concessionem ipsius Pontificis eximi potest à potestate, quæ ipsi tanquam Summo Christi in terris Vicario adversus omnes Fideles competit; nam ad intrinsecam Papalis potestatis à Christo profectæ perfectionem spectat, ut sit omnium fidelium Supremus Ordinarius Pastor. Ita *l. cit.* Abb. n. 19. Molin. n. 1. Pirh. n. 20.

4. Res pupillarum: ubi nonnulli discrimen faciunt inter res eorum mobiles, & immobiles; & in prioribus præscriptionem concedunt, in posterioribus autem negant. Sed meliùs hac distinctione rejecta, negatur omnis Præscriptio, etiam longissimi temporis in re pupillari, ita, ut tempus pupillaris ætatis ad tempus præscriptionis computetur. Ita Cujac. in l. 4. §. si pupilli 11. ff. de Usucap. ubi seipsum corrigens, generaliter, & indistinctè asserit, res, quæ aut Civili, aut gentium Jure pupilli factæ sunt, quamdiu in tutela fuerit, usucapi non posse. Consentiant Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 15. n. 1. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. num. 174. Arnold. Rath tr. de Usuc. & præscript. c. 4. n. 10. Haun. tom. 1. tr. 5. num. 365. Pirh. *hic n. 36.* König n. 21. & sumitur ex l. sicut rem 3. §. que ergo C. de Præscript. 30. vel 40. ann. & Auth. nisi tricennale C. de bon. matern. Et hoc verum est, ut bene notat Haun. etiam si contra de-

functum Prescriptio jam incepisset; nam durante pupillari ætate non currit Prescriptio. *Excipitur*, si tempus Prescriptionis completur, pupillo adhuc in utero existente; nam tunc adversus defunctum, non adversus pupillum compleri censeretur; nec enim Jura volunt ob incertitudinem posthumi nati-riti Prescriptionem impedire. Datur tamen eo casu posthumo nato beneficium restitutionis in integrum *l. etiam 45. ff. de minor. l. un. C. si advers. Usucap.*

Præter relata sunt plura adhuc alia, quæ Lege positiva præscribi vetantur; de his tamen melius in §§. seqq.

34. Quaritur 3. quam res præscribi prohibeantur tempore ordinario? *Re. 1. Res Ecclesiarum*, saltem immobiles; nam contra eas, ut *infra §. 6.* dicam, Prescriptio locum non habet, nisi longissimi temporis, contra Ecclesiam Romanam quidem 100. annorum, contra alias inferiores 40. Aliquibus tamen Ecclesijs, & locis Sacris ex speciali Privilegio, ut *§. 6. cit.* dicam, amplius conceditur tempus, ut Ordini, ac Monasterijs S. Benedicti, Congregationi S. Salvatoris &c.

35. 2. *Bona Principis*: ubi tamen distinguendum est inter ea, quæ ad eum spectant tanquam privatum, & non quæ Princeps est, quia ex suo patrimonio, vel aliunde titulo privato illa habet; & inter ea, quæ ad ipsum pertinent, quæ Princeps est. *Primi generis bona*, quæ *Bona Dominica*, seu *Patrimonialia Principis* appellantur, eo tempore præscribuntur adversus Principem, quo præscriberentur adversus quemcunque privatum, ut cum Covar. & alijs ab hoc *cit.* rectè docet Molin. *tr. 2. D. 74. num. 5.* quamvis aliqui refragentur. Ratio est, quia non constat de privilegio, quod Regi quoad similia bona conveniat. *In secundi generis bonis* iterum distinguendum est inter Bona, quæ ad Regni Coronam, vel Principatum spectant, & inter ea, quæ dicuntur *Fiscalia*. *Priora* non præscribuntur adversus Regni Coronam minori spatio, quàm 100. annorum. Covar. *reg. possessor p. 2. §. 2. n. 3. §. 9.* Valas. *de Jur. Emphyt. q. 17. n. 12.* Molin. *l. cit. n. 4.* & patet *arg. l. un. C. de SS. Eccl.* ubi privilegium centenariæ prescriptionis conceditur Civitatibus, igitur multo magis Coronæ, vel Principatui. Quoad *Posteriora*, tertia distinctio est adhibenda; nam si jam incorporata sint fisco, præscribi solum possunt 40. annorum tempore *§. res fisci 10. & ibi Gloss. Inst. de Usucap.* Si nondum incorporata fisco, multum interest, qualia sint illa bona, & quam ob causam Fiscus ea sibi vendicet, vel vendicare possit. *Si ad Fiscum pertineant*, quia ob crimen e.g. ob vectigal non solum, ob hæresin, ob crimen lese Majestatis &c. *sunt eidem commissa*, distinguendum est inter Fiscum Sæcularem, & Ecclesiasticum. *Si sermo sit de Fisco Sæculari*, quinquennio omnis actio Fisci extinguitur. *Si de Eccle-*

siastico, adversus Ecclesiam Romanam non præscribitur, nisi 100. annis, adversus aliam inferiorem annis 40. nisi habeat speciale privilegium. *Si verò hujusmodi bona nondum incorporata Fisco ad eum spectant alia ex ratione*, quia v. g. morte alicujus sine legitimis hæredibus sunt vacantia, videndum, an denunciata sint Fisco, vel non. *Si nondum denunciata sunt*, præscribuntur tempore ordinario *l. quamvis 18. ff. de Usurp. & Usucap.* ubi dicuntur talia bona diutina possessione capi; diutina autem 10. aut 20. annos, videlicet tempus ordinarium denotat. *Si autem denunciata jam Fisco sint*, post quadriennium continuum actio super illis bonis à Fisco non amplius inchoari potest, ut habetur *l. notum est 1. C. de quadrienn. prescript.* Videatur Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 73. per totam.*

3. *Feuda*: ubi quinque distinguendi sunt Casus. Et 1. quidem, ut res Allodialis in Feudalem transeat, sufficit, si possessor ejusdem illam tanquam Feudalem 30. annis possederit, & domino istius Vassalli instar servitia exhibuerit, nisi illa ad Ecclesiam spectet; tunc enim adversus Romanam 100. annis adversus aliam privilegio non munitam 40. anni requirentur. *Zaf. tr. de Feud. p. 6. n. 30. Vultei. l. 1. c. 9. n. 15. Schrader p. 5. c. 4. n. 6. Rosenthal c. 6. concl. 77. n. 2.* quos citat & sequitur P. Wiest. *hic n. 142.* & patet ex *Lib. 2. Feud. tit. 26. §. siquis per 30. 2.* eadem longissimi temporis prescriptione feudum ab uno Vassallo transferri potest ad alium, & à vero ad putativum; nam si hic per 30. annos bona fide Jure Vassalli possedit Feudum, & Domino ejusdem obsequia consueta præstiterit, Vassallus prior amittit dominium utile, & Feudi dominus hunc novum, tanquam Vassallum suum, agnoscere etiam invitus cogitur. *Abb. in c. 13. h. tit. n. 14. Clar. §. feudum q. 45. n. 3. Schrad. p. 5. cit. c. 5. n. 9. Rosenthal. c. 9. concl. 97. n. 2. Pirh. hic num. 109. Wiest. n. 142.* 3. Similiter 30. anni sufficiunt, & extinguetur Feudum, si extraneus tanto tempore rem Feudalem, tanquam Allodiam bonam fide possederit. *Glossa in tit. 40. feud. l. 2. v. preterea cit. V. prescriptione, Alex. de Nevo in c. 13. h. tit. n. 52. §. 57. Gaill. l. 2. obs. 160. n. 1. §. seqq. Rosenthal. concl. cit. n. 19.* & apud hunc communiter Feudista. Sumitur ex *§. siquis per 30. cit.* Neque obstant textus *Lib. 2. Feud. tit. 40. v. preterea, & tit. 55. in princ.* ubi dicitur nullius temporis Prescriptio obstare domino; quia ut *l. cit.* cum alijs advertit Gaillius, id intelligendum duntaxat est de Ordinaria 10. annorum inter presentes, & 20. inter absentes, non verò de Extraordinaria 30. vel 40. annorum. 4. non minus 30. anni sufficiunt ad consolidandum dominium utile cum directo, & Feudi extinctionem, si dominus directus bona fide, quia v. g. creditur familiam, cui ratione Feudi alias debebatur dominium utile, omni-

omnino extinctam esse, tanto tempore rem feudalem tanquam Allodiam, & liberam pacifice possedit *arg. §. si quis cit. Bald. ibidem n. 11. Zak. p. 6. cit. n. 33. Rosenth. conclus. 83. n. 2. Wiest. hic n. 144.* 5. Ut verò contra Vasallum dominium directum prescribat adversus dominum, necesse est, ut domino possessionem interverterit, eique pro servitijs ipsum interpellanti, illa negarit, prædium, quod possidet, liberum asserendo; alias enim nullo tempore illud prescribet ob possessionis defectum, cum non sibi, sed domino illud possideat. *Vult. c. 9. cit. n. 18. Schrader. p. 6. c. 6. n. 62. Rosenth. c. 6. concl. 82. n. 1. & 15.*

37 4. *Res furtivæ, aut vi possessæ*: hæ enim tempore ordinario nec à fure, seu invalore, nec à tertio quodam prescribi possunt, usque dum vitium purgatum fuerit *§. furtivæ 2. & §. seq. Inst. de Usucap. l. qui fundum 7. §. qui sciens 5. ff. pro emptor. l. sciens 7. C. de Usucap. pro empt. Vivian. in c. 2. h. tit. Gonz. ibid. n. 6. Vall. §. 8. n. 5. Pirh. n. 13. Engl. n. 11. Sannig c. 6. n. 3. Wiest. n. 139.* Estque hoc verum, ut bene advertit Haun, *tom. 1. tr. 5. n. 367.* etsi per mille manus res illa ambulasset; semper enim dominus illam vindicare possit nullo restituto pretio, præterquam expensis in sustentationem v. g. animalis factis. *Ratio indicatur l. vitia 11. C. de acquir. vel retin. poss. quia sc. dispositione Juris res furtivæ, & vi possessæ vitio reali laborant; cum quo proinde ad quoscunque successores deveniunt. Huc revocantur, quæ contra Legem repetundarum Judici data sunt; nam hæc perinde, ac furtivæ, non nisi purgato vitio, Prescriptionem admittunt l. quod contra 8. ff. ad Leg. Jul. repetund. Addidi, Nisi purgatum sit vitium furti, aut violentiæ: quod fieri tripliciter potest. 1. per lapsum 30. vel 40. annorum; nam si tanto tempore hujusmodi res possessæ fuerint à tertio bonæ fidei possessore, puta ab emptore, vel herede furis, ignorante rei vitium, prescribi etiam res furtivæ possunt l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de Prescript. 30. vel 40. ann. 2. si fur esset heres illius, cui furatus est l. cum vir 42. ff. de Usurp. & Usucap. ibi: Idem Juris est, cum is, qui rem furtivam vendidit, postea domino hæres existit. 3. Si res ad suum dominum reversa fuerit post furtum, & denuo bona fide ab alio possideatur, sive deinde reversa fuerit formaliter, sive æquivalenter, v. g. per receptam litis æstimationem, aut quamcunque aliam satisfactionem l. quamvis 84. ff. de furt.*

38 5. *Res minorum*, contra quas solum currit Prescriptio 30. annorum *l. sicut 3. C. de prescript. 30. vel 40. annor. l. non est 3. C. quib. non objicit. long. temp. Prescript. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 15. n. 1. Less. l. 2. c. 6. n. 24. Wagn. in c. 3. h. tit. V. possessæ sunt, not. 2. Engl. n. 10. König n. 22.* Sed hoc, ut Haun, *tom. 1. tr. 5. n. 366.* notat, intelligi solum

debet de Prescriptione propriè dicta; nam impropiè, ut annales &c. æquè procedunt adversus minorem, salva restitutione in integrum.

6. *Res, quæ Civitatibus* (idem dicendum de Pagis & oppidis) donatæ, legatæ, venditæ, sed nondum traditæ sunt; nam adversus istas non prescribitur minori tempore, quam centum annorum *l. ut inter 23. C. de SS. Eccl.* Neque privilegium hoc revocatum, vel ad brevius tempus redactum est per *Auth. quas actiones l. cit. subjunctam*; quia hæc solum de Ecclesijs, non de Civitatibus tractat. *Covar. in reg. possessor p. 2. §. 2. n. 15. Molin. tr. 2. D. 74. n. 4. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 13.*

7. *Res alienari prohibita*: ubi distinguendum est, an omnino prohibeantur alienari, ut sunt prædium dotale, res Majoratus, aut Primogenituræ vinculo alligatæ, aut sub Fideicommissio relicta; an verò solum sint prohibita alienari sine certis solennitatibus, uti sunt res Ecclesiarum, Pupillarum, Minorum &c. De his posterioribus factis constat ex hætenus dictis. *In prioribus distinguendum est, an per Prescriptionem id agatur, ut hujusmodi Majoratus, Primogenituræ, Fideicommissa &c. inducantur, an verò, ut tollantur. Si primum, Molin. tr. 2. D. 75. n. 9. §. advertit.* putat sufficere tempus ordinarium cum titulo, tricennium sine titulo; sed verius *Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 15. n. 6.* requirit 40. annos cum titulo, immemorabile sine illo.

Si secundum, gravissima est controversia, an hujusmodi res absolute alienari prohibita prescribi possint, saltem tempore longissimo 30. aut 40. annorum? *Affirmat Card. de Lug. de J. & J. D. 7. Sed. 8. n. 147. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 363. König hic n. 23.* *Rationem dant*; quia ista Prescriptio habet vim Tituli, & affert presumptionem facultatis à Principe datæ ad alienandum.

Verum longè probabilius est, non posse hujusmodi bona prescribi etiam longissimo tempore in præjudicium successorum, nisi agere iidem valeant. Ita *Covar. Reg. possessor p. 3. §. 3. n. 6. concl. 3. Fachin. l. 7. contr. c. 12. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 15. n. 3. Pirh. hic n. 37. & alij ab his cit.* *Ratio est*, quia prohibitio alienationis in his bonis non solum est inducta à Lege, sed etiam ab ipso primo institutore, qui dum Majoratum, Primogenituram, Fideicommissum constituit, & personas, ad quas devenire debet, modumque, quo ad ipsas deveniendum sit, designavit, tacitè prohibuit, & exclusit quamlibet aliam alienationem. ergo etiam Prescriptionem: non Ordinariam tantum; nam hæc excludit *l. ult. C. communia de Legat. & l. ult. §. fin autem C. de prescript. 30. vel 40. ann.* ergo, ut aliquid operetur prohibitio à primo Institutore addita, dicendum eam excludi etiam Extraordi-

nariam. 2. impedito agere non currit Prescriptionem; quia tunc primum incipit currere, quando actio nata est. sed successores in Majoratu, Primogenitura &c. nequierunt Prescriptionem impedire, vivente possessore, contra quem Prescriptio facta est; quia illis nondum Majoratus cessit. ergo contra eos, quando agere non possunt, non currit Prescriptio. 3. Prescriptio amplius aliquid acquiri nequit, quam quod vero titulo concedi poterat, cum Prescriptio loco tituli subrogetur, ut tradit Bald. in l. nullus C. de R. V. at nec possessor, nec alius poterat Primogenituram, Majoratum &c. alienare, naturam illorum destruendo; neque enim dominium illorum conceditur absolute, sed pro ejus vita, ita, ut in ea institutione videantur adesse concessionem, quot fuerint personarum successura; quia omnes à primo institutore, non ex ultimo possessore rem possidendam accipiunt.

Dixi autem, *Etiam longissimo tempore*, videlicet 30. vel 40. annorum: nam Prescriptionem, quae hominum excedit memoriam, praescribi possunt; quia cum haec vim Tituli habeat, & praescriptionem inducat, quod omnia adfint, quae ad dictam alienationem fuerunt necessaria, mirum non est, quod valeat omnibus praesudicare. Molin. tr. 2. D. 79. n. 9. v. conveniunt, & alij passim. Addidi, *In praedictum Successorum, nisi agere eisdem valeant*; nam adversus eos, qui agere possunt, optime currere Prescriptio potest, cum potissima ratio sit impotentia agendi.

Ad rationem pro adversa parte allegatam dico Prescriptionem longissimi temporis solum praesumptionem Tituli pro se habere, quando adversus praescribentem non militat praesumptio contraria, sicut fit in rebus alienari prohibitis.

§. III.

De Possessione requisita ad Prescriptionem.

SUMMARIUM.

42. Ad Prescriptionem requiritur possessio.

43. Corollaria.

44. Civilis sufficit sine naturali, non tamen vicissim.

45. 46. Corollaria.

47. 48. Continuatio, & probatio possessionis quatenus necessaria?

49. Praescribi non potest Matrimonium.

50. Professio Religiosa, & Exercitium Ordinis Sacri.

51. Jus Decimandi à Laicis, Obedientia à subditis.

52. Potest Prelatus inferior contra Episcopum praescribere Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia?

53. Quae illa sint, recensentur, & apponitur duplex limitatio.

54. Respondetur ad opposita.

42. Certum est, ad Prescriptionem faciendam requiri Possessionem; nam sine possessione Prescriptio non procedit, ut habetur Reg. 3. de R. J. in 6. & supponitur c. Sanctorum 3. c. causam 7. c. si diligenti 17. h. tit. & l. sine possessione 25. ff. eod. Hinc qui incapaces sunt possidendi rem aliquam, prout sunt Laici respectu Juris eligendi, conferendi Beneficia &c. etiam incapaces sunt praescribendi, ut facile omnes concedunt.

Queritur 1. qualis esse debeat haec Possessio, ut legitima sit, & ad Praesumptionem sufficiat? 1. debet esse Civilis, h. c. detentio rei cum opinione dominij. Ita Abb. in c. 7. h. tit. n. 6. Covar. Reg. possessor p. 2. princ. n. 7. Azor. p. 3. l. 1. c. 17. q. 2. Molin. tr. 2. de Just. D. 61. n. 1. Less. l. 2. c. 6. n. 5. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. num. 5. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 4. n. 2. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. num. 107. & seq. Haumtom. 1. tr. 5. n. 256. & ceteri passim. Ratio est, quia Prescriptio est modus acquirendi dominium, quod non acquiritur sine animo, & voluntate acquirentis l. in omnibus 55. ff. de O. & A. igitur necesse est talem intelligi possessionem, quam animo, & voluntate domini res detinetur. Non tamen est ne-

cessesse, ut reali apprehensione acquiratur res praescribenda, sed sufficit, si fictione Juris aliquo actu, qui apprehensioni aequivalet, comparetur. Item juxta vulgarem modum accipiendi Prescriptionem non est opus, ut sit proprie dicta possessio, quae tantum est corporaliu rerum; nam etiam Jura, & res aliae incorporeae praescribi possunt, quarum tantum est quasi possessio. Quaecunque autem sit possessio sive vera, sive quasi, necesse est, ut praescribens sibi, & suo nomine possideat, non alteri, vel alterius nomine c. si diligenti 17. h. t. Hinc

Sequitur 1. ut aliquis sciat, quid temporis diuturnitate praescriperit, inquirendum esse de eo, quid eo tempore possederit; nam tantum praescribit aliquis praescribit, quantum possidet arg. c. cum olim 18. h. tit. & passim DD. Sequitur 2. eum, qui non suo, sed alterius nomine est in possessione Juris, aut rei, non posse praescribere sibi, sed ijs, quorum nomine possidet. Molin. l. cit. n. 5. Pal. n. 5. Pirh. n. 40. & sumitur ex c. si diligenti cit. ubi etiam ratio redditur; quia is possidere dicitur, cujus nomine possidetur: conf. Tutor, Curator, Filiusf. Servus praescribit pupillis, minoribus, parentibus, do-

dominis &c. Sequitur 3. etiam non sufficere possessionem fundatam in actibus meræ facultatis; quia per huiusmodi actus exercitos, vel omisos, hoc ipso, quod omnino liberè exercentur, vel omittantur, non possidetur ius exigendi eorundem exercitium, vel omissionem. Vide supra dicta n. 28.

44 Queritur 2. an possessio Civilis ad Prescriptionem sufficiat sine Naturali? Videtur non sufficere; nam Possessio naturalis, utpote corporea, evidens, & notabilis multo favorabilior est, quam Civilis, quæ plerumque est occulta, & machinationibus plena, vel saltem exposita, igitur saltem sine Naturali Civilis non sufficit. *Conf.* quia si Civilis sufficeret ad Prescriptionem, & impediret, ne Naturalem possessionem habens preferere posset, Lex Prescriptionis eluforia foret; semper enim Replicatione Civilis possessionis in animo retentæ eludi posset.

Sed his non obstantibus, dicendum Civilem Possessionem sine Naturali sufficere, Naturalem sine Civili non sufficere. Ita certa sententia contra Ferdin. Valsq. l. 2. cont. rov. Jur. c. 57. n. 6. Pars 1. ex eo constat, quia si Civilis possessio sine naturali sufficeret, nemo facile unquam prescriberet; quia nemo facile possessionem naturalem continuat toto tempore Legibus definito.

Pars 2. quia si naturalis possessio sufficeret sine Civili, possent duo simul rem eandem prescribere, sc. si unus per tempus Lege definitum continuaret possessionem Naturalem, alter Civilem. Sequela admitti nequit; quia non datur dominium duorum in solidum. ergo &c. Ex quo.

45 Sequitur 1. aliena possessionis inchoare Prescriptionem non posse, quamdiu alter v. g. absens civiliter possidet, ut notavit Abb. in c. 5. h. tit. n. 4. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 5. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 4. n. 3. cum alijs.

Sequitur 2. si quis domino absente, vel ignorante, occupet rem aliquam immobilem illius, eamque alicui tertio vendat, & tradat, non posse istum, quamvis bona fide illam retineat, ipsam ex Empto prescribere; quia naturaliter solum possidet, Civilis possessione remanente penes dominum absentem, & ignorantem, donec reversus non admittatur ad possessionem naturalem, vel ab ea recuperanda ob metum, vel aliam causam desistat. Molin. tr. 2. D. 62. n. 2. Pirh. hic n. 40.

Sequitur 3. casu, quo Titius existens in possessione domus alienæ, bona fide emptæ à non domino, aliò profectus domum relinquat vacuam, sed animo retinendi possessionem, alius verò diutius absente Titio, domum illam ingrediatur, & possidere incipiat, Titium tamen, non obstante hac alterius clandestina possessione, & suâ absentia, prescriptionem complere posse; quia domum prædictam adhuc civiliter possidet;

nisi longo nimis tempore, e. g. decennio abfuerit, & oblivionem quasi rei suæ induxerit; tunc enim amitteret possessionem l. furtum 37. §. fundi 1. ff. de Usurp. & Usucap.

Sequitur 4. Conductorem, Colonom, Depositarium, Commodarium, aliisque similes non posse prescribere res, quas legitime detinent; quia Civilis earum possessio est penes Proprietarium: imò ipsæ neque naturaliter possident suo nomine, sed nomine domini, qui per illos possidet etiam naturaliter. Emphyteuta verò; & Usufructuarius, licet civiliter non possideant proprietatem fundi, ideoque illam prescribere nequeant, possunt tamen contra proprietarium prescribere dominium utile, aut jus fruendi; quia hoc civiliter, & suo nomine possident. Molin. cit. n. 7.

Sequitur 5. non posse eandem rem à duobus prescribi in solidum; quia duo in solidum civiliter eam possidere nequeunt l. possideri 3. §. e contrario 5. ff. de acquir. vel amit. possess.

Non tamen repugnat eandem rem à diversis prescribi secundum diversas partes; aut secundum diversa Jura, ita, ut unus prescribat dominium, alter usumfructum; unus dominium directum, alter utile; unus unam partem, alter aliam partem: item in eodem loco duo possunt prescribere Jurisdictionem concurrentem, si uterque actus possessorios sufficientes sine prohibitione alterius exercuerit: nec tamen eo casu Jus utriusque, aut possessio erit in solidum, sed in actu, seu exercitio Jurisdictionis semper melior erit conditio possidentis c. proposuisti 19. de for. compet. Abb. in c. 15. h. tit. n. 14. König n. 16. hic.

Ad rationem in contrarium allatam, si Possessio naturalis fundamentum esse Prescriptionis deberet, multo pluribus fraudibus daretur occasio; quia etiam fures, & invasores iniusti, ut possidere naturaliter, ita etiam prescribere possent. Ad *Conf.* multo facilius eluderetur Prescriptio, si præter Civilem etiam requireretur possessio naturalis; quia, ut n. 42. dictum est, rarissime tanto tempore continuatur utraque.

Queritur 3. quomodo continuari, & 47 probari Possessio debeat? ut inducatur Prescriptio, possessio debet esse continua, non interrupta: de quo infra §. 8. Interim noto, continuatam possessionem censei non tantum, si apud unum permaneat, sed etiam, si in alium transferatur, sive deinde illud fiat titulo universalis, quo modo rem possideri coeptam à testatore usucapere potest heres illius; sive singulari, ut cum res aliqua per donationem, aut venditionem à donante, vel venditore, transfertur in donatarium, & emptorem.

Quoad probationem possessionis sequentia notari debent. 1. prescribens non obligatur ad probandam continuationem possessionis; quia id esset quodammodo impos-

sibile : sed sufficit , quòd probet initium , medium , & finem ; nam ex his reliqua tempora presumuntur. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. n. 129.

48 2. Si probet antiquitas se possedisse , presumitur adhuc de presenti possidere , modò ita se possidere alleget possessor. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 4. n. 7. & apud hunc Abb. Covar. Ratio est , quia à possessione habita cadere possessor nequit , nisi animum possidendi mutaverit : quod non presumitur , sed magis contrarium.

3. Ex eo , quòd quis probet antiquitas se possedisse , & de presenti possidere , presumitur intermedio tempore possessionem continuasse. Covar. Reg. possessor p. 2. §. 1. n. 1. & apud istum citt. Quòd intellige casu , quo possessio Civilis per decennium probanda est ; nam si ultra decennium probanda sit , & naturalis possessio sit amissa , oportet initium cuiusque decennij probare : & ratio est , quia animus continuandæ possessionis rei non retentæ non presumitur progredi ultra decennium , ut cum Covar. notat Pal. n. 7. cit.

49 Queritur 4. quænam Jura & obligationes ex defectu legitimæ possessionis præscribi non possint ? R. pro regula generali esse à nemine præscribi rem , aut jus aliquod posse , cujus possidendi est incapax ; nam qui capax non est possidendi , etiam capax non est præscribendi. Et tale est.

1. *Matrimonium carnale* ; hoc enim nulla temporis Præscriptione coalescere potest , si nulliter sit contractum , vel disjuncti , si contractum sit validè ; quia cum solo consensu , eoque ab Ecclesia approbato in eatur , quantumque temporis diuturnitas ex non conjugibus efficere non potest conjuges : aut e contra ex conjugibus non conjuges ; quia semel contractum legitimè sit insolubile : ut adeo & possessio libertatis in ijs , qui cum veri sint conjuges , pro talibus tamen sese non gerunt ; & obligationis Matrimonialis in illis , qui cum verum Matrimonium inter eos non consistat , ut conjuges tamen cohabitant , sit illegitima. Ex quo sequitur , post quantumque temporis cohabitationem separandos putatitios conjuges , si vitium detegatur ; veros autem conjuges ad cohabitandum compellendos , si pretextu nullitatis unus ab altero invito discesserit.

50 2. *Matrimonium Spirituale* , seu *Professio Religiosa* : nam hæc per viam Præscriptionis nec induci , nec validè emissa dissolvi potest ; quia solo consensu profitentis emittitur , sola Pontificis dispensatione dissolvitur , hinc absque consensu profitentis de novo posito , saltem tacito , quantumcunque tempore in Religione vixerit , invalidè emissa Professio non convalescit ; sicut è contrario emissa validè , quantumcunque tempore Professus in Seculo extra obedientiam vixerit , nullo modo dissolvitur : Ratio est , quia abs-

que consensu Professi Religio Professi sui , & absque dispensatione Pontificia Professus libertatis ab Obedientia regulari possessionem legitimam nullam habet , quæ ad Præscriptionem sufficiat , & vel Religioni jus aliquod in Professum , vel Professo libertatem à contracta per Professionem obligatione tribuat.

3. *Exercitium Ordinis Sacri* : ubi distinguendum inter Actus Ordinis , an certum Ordinem Jure Divino , an solum humano Ecclesiastico exigant ; nam si Divino , prout Ordo Sacerdotalis exigitur ad abolitionem Sacramentalem is , qui tali Ordine caret , simpliciter ; si verò humano Ecclesiastico , absque privilegio Apostolico est incapax exercitij talis Ordinis : ut proinde ex defectu possessionis legitimæ nullius temporis Præscriptione jus ad actus hujusmodi exercendos tribui possit talem Ordinem non habenti.

4. *Jus Decimandi* , & *alia Spiritualia* , quæ possidere Laici absque Apostolico Privilegio nequeunt , respectu eorundem Laicorum ; nam etsi præscribere isti Decimis possint , nequeunt tamen præscribere ipsas Decimas : & ratio est , quia dum Decimis præscribunt , præscribunt Libertatem ab ijs solvendis , cujus Laici capaces sunt ; dum verò præscribere volunt Decimas , præscriberent Jus Decimandi , cujus , cum spirituale sit , possidendi absque Privilegio Apostolico sunt incapaces. Idem dicendum de Jure eligendi ad Prælaturas Ecclesiasticas , conferendi Beneficia &c. de quibus in proprijs suis locis.

5. *Exemptio ab Obedientia* , quam Principi , Episcopo , vel alij suo legitimo Superiori debent subditi ; nam hanc præscribere illi non possunt ullo tempore , quamdiu se subditos fatentur , & pro talibus sese gerunt , prout habetur c. cum non liceat 12. b. tit. & docent ibidem Vivian. in Ration. Gonz. n. 3. Laym. n. 3. Pirh. n. 21. Wiest. n. 137. Ratio est , quia dum aliquis se gerit pro subdito , non est in possessione immunitatis , & exemptionis. Dixi , quamdiu subditos se fatentur ; & pro talibus sese gerunt ; nam Exemptio ab Obedientia præscribi potest mediata , & consecutiva , si sc. per Præscriptionem tollatur subiectio : quod fieri potest non quidem respectu Summi Pont. (nam huic fideles omnes Jure Divino subditi sunt) sed proprij Episcopi , vel alterius Prælati Ecclesiastici , si subditi istius viâ præscriptionis transferantur in potestatem , & Jurisdictionem alterius , vel omnino eximantur ab inferiore , & subiciantur soli Papæ.

Queritur 5. an Prælatus inferior contra Episcopum præscribere Jurisdictionem , & alia Jura Episcopalia possit ? Videtur non posse ; quia si præscribi posset , præscribi ab eo etiam posset collatio Beneficiorum , sive Institutio , per quam cura animarum traditur. atqui ista per inferiorem contra Episcopum præscribi non valet c. ex frequentibus 2.

de Institut. c. cum satis 2. de Offic. Archidiacon. ergo &c. Conf. nam si Jurisdictione, & alia Jura Episcopalia possent præscribi contra Episcopum, sequeretur, quod Episcopus tali Jurisdictione non amplius uti posset; potest autem uti, ut patet ex c. per hoc 17. de Hæret. in 6. & sumitur arg. l. studentibus 1. C. de Offic. Præf. urb. & l. fin. C. de Jurisd. omn. Judic.

Sed his non obstantibus, dicendum posse Prælatus inferiorem, v. g. Abbatem, Archidiaconum &c. per Præscriptionem acquirere Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia in certis Ecclesijs, si per 40. annos in eorum possessione fuit. Ita deciditur c. auditis 15. & c. cum olim 18. h. tit. & docet Vivian. in c. 15. cit. Barbof. ibid. n. 1. Gonz. n. 8. Fagn. in c. 18. cit. n. 10. Laym. ibid. num. 2. Wagn. in c. 3. h. tit. V. possesse sunt not. 2. Pirh. hic n. 28. Sannig c. 7. n. 4. Ratio est, quia omnia Præscriptione acquiri possunt, quæ longo tempore acquiri specialiter non prohibentur l. usucapionem 9. ff. de Usurp. § Usucap. l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann. sed Jurisdictione, & Jura Episcopalia, de quibus in præsentia, non prohibentur acquiri præscriptione. ergo &c. Conf. omnia Jura, quæ Prælatus inferior potest possidere, etiam potest præscribere c. cum olim cit. atqui Prælatus inferior est capax possidendi ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis, ut passim habet usus, ergo &c.

53 Porro Jura ejusmodi, quæ à Prælati inferioribus præscribi possunt, c. cum olim cit. §. quia prædictus Abbas &c. octo præcipuè enumerantur. 1. jus instituendi, & destituendi Clericos in Ecclesijs, & Capellis sibi subiectis. 2. jus ordinandi Clericos, quod intellige de ijs Ordinibus, quæ non requirunt Ordinem Episcopalem, ut conferri ab aliquo possint. 3. Baptismus, ut inferior Episcopo Jus habeat in Ecclesia sua tenendi Fontem Baptifinalem. 4. Jus poenitentiam imponendi pro levioribus culpis. 5. Jus sepulturæ, seu recipiendi aliquem ad sepulturam liberè. 6. Decimarum perceptio, sc. quartæ Decimarum, quæ de Jure ad Episcopum spectat. 7. Jus celebrandi Divina in Ecclesijs Episcopo subiectis. 8. potestas excommunicandi, interdicendi, absolvendi, Clericos, & Ecclesias Sæculares sibi subiectas.

Duo autem circa Jurium istorum Præscriptionem notanda sunt. Primum est, quod ad ejusmodi Præscriptionem requirantur 40. anni, & quidem cum titulo colorato; quia Jus commune resistit: sine titulo autem tempus immemorabile. Alterum est, quod exercens Jurisdictionem in certis articulis etiam cum intentione acquirendi universalem possessionem Jurisdictionis in omnibus articulis conjunctis, non præscribat, nisi in ijs articulis, in quibus Jurisdictionem

exercuit, si alius, videlicet Ordinarius, sit in possessione illorum Jurium, vel articulorum; quia non plus præscribit quis, quam possideat, neque extenditur Præscriptio de jure ad jus, vel de casu ad casum similem, cum sit stricti Juris, prout sumitur ex c. auditis 15. h. tit. & notat Gloss. ibid. V. interruptionem, Abb. in c. 18. cit. num. 6. Pirh. hic n. 31.

Sic explicatæ, & limitatæ Responsio-54 ni nostræ non obest ratio dubitandi desumpta præcipuè ex c. ex frequentibus cit. nam, ut Gonzal. in c. 15. cit. docet, in eo textu solum reprobat consuetudo, vel præscriptio, per quam Clerici recipiebant Beneficia ab his, qui potestatem ea conferendi non habebant, & sine autoritate alicujus legitimi Superioris, ad quem ea spectabant: unde Pontifex in eo textu petit consensum Episcopi, vel Officialium. Per quod tamen non vult excludere alios, qui privilegio, vel Præscriptione legitima instituendi potestatem habuerint: imò eos tacitè admittit, dum non simpliciter agit de Episcopis, & eorum Officialibus, sed adjecit, Qui de jure possunt; constat autem, quod illi, qui contra Episcopum legitima præscriptione se tuerent, possint prædictam institutionem dare. ergo prædictis verbis eos comprehendit Pontifex.

Ad Conf. distinguendum est; nam si Prælatus inferior Jurisdictionem Episcopalem præscripsit contra Episcopum privativè, verum est, quod Episcopus in loco, ubi ita præscriptum est, uti Jurisdictione sua non possit; nihil autem ipsum impedit ab usu Jurisdictionis, si præscripsit inferior cumulativè cum Episcopo. Porro privativè præscripsit Prælatus inferior, si per tempus Lege definitum solus exercuit Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia: cumulativè, si exercuit juxta Episcopum, nisi ex titulo, vel aliunde appareat, quod voluerit Jurisdictionem præscribere privativè. Neque dicas, hoc modo interrumpi Præscriptionem, si interea Episcopus usus Jurisdictione sua fuit; nam tantum interrumpitur privativè, non cumulativè: & ratio est, quia præscriptioni Jurisdictionis cumulativæ non adverfatur usus Episcopi, sed solum exclusio, quæ volens præscribere excluderetur ab actu, ut notat Gonzal. l. cit. n. 9. in fin. Unde magnum est discrimen inter Præscriptionem cumulativè, & privativè factam; nam ut interrumpatur Præscriptio privativè faciendâ, sufficit unicus actus exercitus ab Episcopo ad interrumpendam Præscriptionem Prælati, etiamsi non prohibeat præscribentem ab usu Jurisdictionis, ut rectè advertit Pirh. hic n. 29. ubi dat rationem, quia cum Episcopus per unicum actum Jurisdictionis Jus, & Possessionem retinuerit, conf. etiam impedivit, quo minus Prælatus inferior privativè præscriberet.

§. IV.

De Bona Fide necessaria ad præscribendum.

SUMMARIUM.

55. Quid sit Bona Fides, & quotuplex?
 56. 57. An necessaria ad præscribendum?
 58. 59. 60. An semper, & in omni Præscriptione?
 61. 62. Etiam Actionum, & Obligationum?
 63. 64. 65. An Præscriptionem impediatur Fides dubia?
 66. 67. 68. 69. An Ignorantia Juris, aut facti.
 70. An bona fides Auctoris proffit Successori?
 71. An mala Singulari?

72. 73. Universali immediato?
 74. 75. Vel mediato?
 76. 77. An antecessorum Civitatis, Collegij
 &c. Successoribus?
 78. Aut Prælati Monasterij vel Ecclesie?
 79. Fides mala respectu unius rei, vel personæ
 res respectu alterius rei, aut personæ?
 80. An, & quomodo probari bona fides à præscribente debeat?

55 **B**ona fides nihil aliud est, quam *Judicium*, quo quis prudenter statuit, rem, quam possidet, suam esse, vel saltem non alienam esse. Huic opponitur *Mala fides*; hac possidere quis dicitur, qui scit, vel credit, rem, quam possidet, alienam esse, vel non esse suam. Potest autem Bona fides dupliciter accipi, Theologicè, & Civiliter: Priori acceptione nomen *Fidei* pro Conscientiæ Judicio sumitur, quo modo etiam illam accepit Apostolus, *Quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. i. e. qui non ex conscientia agit, peccat. Proin *Bona Fide Theologica* rem ut suam possidere nihil aliud est, quam sine peccato possidere. Civiliter bona fide rem possidet, cum possessio ex Lege non habet vitium, quo impediatur Præscriptio. Prior sine posteriore ad præscribendum non sufficit: & pater ratio; Præscriptio enim Legibus Civilibus, approbante Jure Canonico, ut n. 4. dictum est, publici boni causâ est introducta. igitur ubi Lex Usucapionem, seu Præscriptionem inhibet, Bona Fides (intellige, Theologica) usucapienti nihil prodest, ut ait Pomponius l. ubi Lex 24. princ. ff. de usucap. Hoc etiam sensu dicitur l. sed etsi 25. §. Si ante 7. ff. de hered. petit. post litis contestationem omnes malæ fidei possessores esse, intellige Civili consideratione, propterea, quod Leges ab eo tempore procedere Usucapionem prohibeant.

56 **Q**uæritur 1. An necessaria ad præscribendum sit Bona fides? Videtur non esse necessaria; nam 1. adversus Legem Civilem, & Canonicam præscribi potest: quod fieri non posset, si ad omnem Præscriptionem requireretur Bona fides; vel enim is, qui præscribit, scit illam Legem esse latam, adeoque obligare, & tunc peccat, si contra illam agat, & eam non observet, sicque non erit in bona fide: vel ignorat Legem illam, & tunc iterum non potest præscribere ob errorem Juris, qui, ut infra dicam, Præscriptionem impedit. 2. Consuetudo contra Jus positivum introduci potest etiam cum peccato, iterando sc. actus contrarios Legi. igitur similiter Præscriptio etiam cum

mala fide introduci potest, dum completa, & perfecta sit. 3. Jus Civile, quo introductam fatemur Præscriptionem, admittit factam sine bona fide; nam in Præscriptione longi temporis Bonam fidem solum requirit ad inchoandam Præscriptionem, ut habetur §. divina 12. Inst. de Usucap. l. un. C. de Usucap. transform. in Præscriptione autem longissimi temporis 30. vel 40. annorum idem Jus bonam fidem ne initio quidem requirit l. siquis §. S. quodsi quis 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.

Verum his non obstantibus, est in 57 dubitata sententia, Bonam fidem necessariò requiri ad omnem Præscriptionem, & quidem non initio tantum, sed etiam in prosecutione usque ad complementum ejusdem, ita, ut quocumque tempore mala fides supervenerit currente Præscriptione, Præscriptio cesset currere. Ita TT. & JCI communiiter omnes, & evincunt aperti textus c. *vigilanti* 5. b. tit. c. fin. eod. & Reg. *possessor* 2. in 6. ibi: *Possessor male fidei ullo tempore non præscribit.* Ratio est, quia qui sciens rem alienam detinet, contra conscientiam agit, & peccat juxta textum Apostoli n. 55. allegatum, *Quod non est ex fide, peccatum est.* igitur valere non potest Præscriptio, quæ fit sine bona fide; alioquin Lex Præscriptionem inducens esset nutritiva peccati.

Neque obstant rationes allatæ in contrarium. Ad 1. eo Argumento solum probatur, quòd primi, qui contra Legem rite promulgatam, & receptam agunt, Præscriptionem adversus illam ex defectu bonæ fidei inchoare non possint: at verò successores eorum, si viderint legem illam ab antecessoribus non fuisse observatam, credere possunt eos jultam causam, & titulum habuisse ita agendi, & sic tutante eos bona ipsorum fide, contra Legem tempore requisito præscribere poterunt. Ad 2. lata est disparitas inter consuetudinem, & præscriptionem; nam præscriptio principaliter dicit acquisitionem, & per illam autoritate Legis directè, & principaliter præscribenti commodum sequitur, qui si malam fidem habere

bere posset, commodum sentiret ex proprio peccato, quod fieri non debet, ne sic invitentur homines ad peccandum. Simile quid nihil contingit in consuetudine; quia hæc non acquisitio, sed Lex est non scripta, introducta ad Jus inter subditos constituendum. Neque obstat, quod per eam inducatur liberatio ab observatione Legis, & sic ex illa etiam peccantibus emolumentum nascatur; nam emolumentum hoc secundarium est, & non tam peccantibus, quam toti populo quaritur. *Ad 3.* Leges illæ Civiles admittentes Præscriptionem cum mala fide, per Jus Canonicum merito abrogatæ sunt, cujus Constitutio, cum agatur de periculo animæ, etiam in foro Civili est observanda.

88 Quaritur 2. an in omni Præscriptione necessaria sit Bona fides? Non esse necessariam ad omnem Præscriptionem etiam de Jure Canonico, videntur probare 1. textus *c. fin. §. in alijs ut lit. non contestat.* ubi missus in possessionem causâ rei servandâ tandem rem ipsam præscribit, sed hic bonam fidem habere non potest; quia scit rem alienam esse. 2. *c. cura 11. de Jur. Patron.* Clericus, cui Laicus Ecclesiam vacantem contulit, jubetur privari Beneficio, nisi legitima fuerit Præscriptione nuntius, igitur supponitur, quod Præscriptio in eo casu fieri potuerit, sed eo casu aberat bona fides; quia Clericus ille scire debebat Laico nullum competere jus in rebus Ecclesiasticis, & cons. illud ab eo in Clericum transferri non potuisse. 3. *can. placuit 15. §. potest caus. 16. q. 3.* habentur hæc verba: *Bona verò fides non ad tractum medij temporis, sed ad initium possessionis refertur; sufficit enim in initio cujusque bona fide possidere cepisse; etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit,* ergo saltem non pro toto tempore, quo currit Præscriptio, Bona fides est necessaria.

89 Sed certa est sententia, Bonam fidem necessariam esse in omni Præscriptione. Patet ex textibus, & ratione *n. 57.* allegata. Et confirmatur; quia finis Juris Canonici est vitare peccata, & salutem animarum consulere *c. ut animarum 2. de consuet. in 6. c. solitè 6. de major. §. obed.* atqui semper est injustitia retinere rem alienam, quam quis scit alienam esse, ergo &c.

Procedit responsio, ut ne quidem tempus 100. annorum, aut immemorabile purget malam fidem, ut colligitur ex *Reg. possessor cit.* ubi dicitur, *Possessorem male fidei ullo tempore non præscribere;* & *c. vigilantibus h. tit.* asseritur *Nulla antiqua dierum possessio aliquem male fidei possessorem juvare;* item *c. fin. eod.* Innocentius III. statuit, *in nulla temporis parte debere adesse rei conscientiam aliene;* qui textus cum contineant universalem negativam, rectè ex ijs colligitur, ne quidem immemorabili tempore cum mala fide præscribi posse. Accedit ratio, quia Præscriptio cum mala fide per Jus Canonicum sublata est, quia qui detinet rem alienam

sciens alienam esse, peccat, atqui tanto gravius quis peccat, quanto diutius rem alienam detinet, igitur per quamcunque longissimam detentionem, si mala fides perseveret, vitium non purgatur.

Neque in hoc Leges Civiles, quæ, ut *n. 57.* dixi, Præscriptionem cum mala fide permittunt, curari debent; nam ea, quæ Jure naturali prohibita sunt, nulla Juris Civilis Constitutione permitti, aut honestari possunt, est autem contra Jus naturale non reddere rem alienam, ergo Jus Civile non potuit, superveniente mala fide, Usucapionem permittere; aliàs Lex esset nutritiva peccati. Potest quidem Lex humana aliquando ad vitanda majora mala permittere peccata, & ea non pletere, sicut defecto alicubi tolerantur Lupanaria &c. at auctoritatem peccatis præstare, & præmijs propositis ea fovere ob nullam boni publici causam potest fieri, autem istud, si compleri posset Præscriptio cum mala fide, ergo &c.

Argumenta in contrarium opposita non urgent. *Ad 1.* non obest, quod missus in possessionem Decreto Judicis sciat rem alienam esse; quia talis scientia non est injusta possessionis, igitur fidem malam non facit. *Ad 2.* ut *n. 29.* dixi, *c. cit.* sermo est de Ecclesijs non in Beneficium, & Titulum, sed in proprietatem concessis: quo modo præscribi possunt, cum bona tamen fide, si sc. Laicus eam donans existimaretur jus habere in illa tanquam Patronus ejusdem. *Ad 3.* textus ille est Gratiani, qui juxta Leges Civiles locutus est, & ideo non curandus.

Quaritur 3. an bona fides requiratur etiam in Præscriptione Actionum, & obligationum? Negant Hofst. in *Summ. hic §. quæ res præscrib. poss. col. 1.* Bartol. in *l. sequitur §. si viam ff. de usucap.* & nonnulli alij. Ducuntur 1. quia textus Juris Canonici, bonam fidem in Præscriptione exigentes, loquuntur tantum de præscriptione rerum, non de præscriptione actionum *c. fin. h. tit. & Reg. possessor. 2. in 6. 2. c. placuit 1. h. t.* Episcopus Jurisdictionem in locum, à se ad unitatem Fidei conversum, præscribit triennio, quantumvis sciat, eum alterius Jurisdictioni subjectum esse. 2. libertas à servitute rustica à domino fundi servientis præscribitur, quantumvis hic sciat eam deberi, ut colligitur ex *l. sicut 13. C. de servitut.* ibi *Ut omnes servitutes (rusticæ) non utendo amittantur.* 3. simili modo Actioni ad poenam adversus delinquentem, & poenæ ipsi à delincente, & ejus hæredibus præscribi potest, etiamsi sciant eam actionem adversum se competere, & eam poenam pro illa culpa esse debitam *l. neque 2. C. de Vectig. §. commissi. 5.* venditor, rei venditæ vitium sciens, ac proinde mala fide, *Actioni redhibitorie sex mensium,* & *Actioni Quanti minoris unius anni,* imò in Bavaria utrique Actioni 14. dierum spatio præscribit, ut deim emptor, ad redhibitionem, & contractus

Fff 3

rescis.

rescissionem, vel restitutionem ejus, quanto minoris rem emisset, non amplius audiat. *l. sciendum 19. §. fin. l. redhibere 21. ff. de Edil. edict. & Landrecht Tit. 6. art. 4.*

62 Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Covar. *Reg. possessor p. 2. §. 11. n. 3. & seqq. Fachin. l. 1. contr. c. 67. Molin. tr. 2. D. 66. à n. 1. Less. l. 2. c. 6. dub. 6. Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 12. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 6. n. 3. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 191. Wiest. hic n. 32.* & hoc teste communiter TT. & JCTi. Ratio est insinuata; quia sc. nulla Præscriptio cum mala fide, quæ peccatum sit, concedenda est ex *c. fin. h. t.*

Et hinc cadit *Argumentum 1.* sententiæ oppositæ; nam esto, de Actionibus, & Obligationibus textus *citt.* nihil meminerint, in his tamen ratio, ob quam Jus Civile à Canonico correctum est, æquè procedit, ac in rebus, cum in his omnibus peccatum sit, si cum mala conscientia possideantur. igitur cum agatur de peccato vitando, ob rationis paritatem *citt.* textuum Constitutio extendenda est. *Ad 2.* possessio Episcopi in casu *c. placuit cit.* non est mala fidei, cum non sit conjuncta cum peccato, quippe cui auctoritatem ipsum Jus præstat. *Ad 3.* Dominus prædij servientis non constituitur in mala fide per hoc, quod sciverit à prædio suo servitutem deberi alteri; quia non debetur, nisi petat is, qui jus habet ejusmodi servitutis. *Ad 4.* qui scit à se deberi poenam, simul scit eam à se non deberi, nisi quando exigitur: unde non offerendo illam ultro, in mala fide practica non constituitur. Aliud est in ijs debitis, quæ solvere aliquis non in modum poenæ, sed in compensationem damni, aut alia quacunque ratione obligatur; nam hæc ab eo, qui scit se debere, vel culpabiliter ignorat, non præscribuntur, etsi creditor non petat solutionem eorum; quia licet hic taceat, terminus tamen elapsus, pro quo conventum est de solutione præstanda, ipsaque dies interpellat, vel si indefinite contractum sit, semper manet obligatio illud solvendi, quamdiu prudenter præsumi nequit id remissum à creditore. *Ad 5.* duæ illæ, & siquæ aliæ similes actiones, ad eas temporis angustias redactæ, minuendarum litium, & publici boni intuitu à Jure potius extinguuntur, quam lapsu temporis præscribuntur: neque etiam extinguuntur aliter, quam pro foro externo; in foro interno enim remanet obligatio conscientie ad omnis damni dolo dati refusionem. Simili modo statui possent etiam in alijs debitis, ut casu, quo creditor intra 10. e. g. annos debitum personale non exigit, debitor, manente obligatione solvendi illud in conscientia, ab actione tamen, contra se instituenda, securus fiat; serviret enim hujusmodi Statutum ad excitandam diligentiam, & vigilantiam creditorum, litésque intricatas vitandas.

Quæritur 4. an Fides dubia obicem Præscriptioni ponat? Videtur ponere; nam 1. bona fides in eo consistit, ut quis rem, quam possidet, suam esse credat. qui autem dubius est, etsi non credat esse alienam, non tamen credit esse suam. 2. qui recipit, vel retinet rem, de qua dubitat, an aliena sit, exponit se periculo retinendi rem alienam. ergo peccat, & conf. bonam fidem non habet. 3. conjux, qui dubitare incipit, an matrimonium à se celebratum sit validum, non potest petere debitum, ergo quia conscientiam dubiam habens constituitur in mala fide. 4. si dubitetur, an minor septennio habuerit consensum requisitum ad sponsalia, quæ fecit, sustinentur sponsalia, & impedimentum publicæ honestatis ex eis nascitur *c. juvenis 3. de sponsal.* ergo quia dubius scienti æquiparatur. 5. dubius in re Fidei Divinæ eodem modo censetur Hæreticus, ac si contra eam aliquid pertinaciter asseruisset. ergo etiam dubius, an retineat rem alienam, perinde haberi debet, ac si ipsa retineret rem alienam.

Sed respondendum est distinguendo, 64 an dubium superveniat Præscriptioni jam inchoatæ, an verò adit initio coeptæ Præscriptionis.

Si hoc secundum, Præscriptionem impedit. Conveniunt in hoc facie DD. omnes, & colligitur ex *l. bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. domin. & l. un. §. hoc tantum. odo C. de Usucap. transform.* Ratio est, quia ut aliquis rem, quam antè non habuit, licitè sibi vindicare incipiat, necesse est, ut determinatè judicet eam vel nullius esse, vel legitimo titulo ad se pertinere; nam si dubitat, iniquè facit eam sibi usurpando, cum non sit melior sua, quam alterius conditio.

Si primum, nonnulli cum *Sot. l. 4. de Just. q. 5. art. 4.* censent impediri Præscriptionem. Sed communis DD. negat, nisi dubium sit practicum. Ita nominatim Gloss. *fin. in c. fin. h. tit. Abb. ibid. n. 39. Covar. Reg. possessor p. 2. §. 7. n. 3. Fachin. l. 1. contr. c. 65. Molin. tr. 2. D. 63. n. 9. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 10. Less. l. 2. c. 6. n. 11. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 7. n. 1. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 179. Pith. hic n. 56. Wiest. n. 39. id defu- mentes ex can. si Virgo 5. caus. 34. q. 1. ibi, Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Huc etiam faciunt omnia Jura, quæ statuunt dubitantem haberi pro ignorante *l. fin. C. de condit. indebit. l. si incertus 1. ff. de legat. 3. l. in totum 76. ff. de R. J.* Ratio est, quia tunc procedit Regula, *in dubio melior est conditio possidentis,* quæ est *65. in 6.* Debet tamen, qui sic cum dubio post inchoatam Præscriptionem rem quandam possidet, moralem diligentiam adhibere, ut sciat, an res sit aliena: quæ adhibita, si de domino rei nihil comperiat, in conscientia tutus est. Ab-

65 Addidi, *Nisi sit practicum*; nam dubium practicum interrumpit Præscriptionem etiam inchoatam, ut cum communi docet Azor p. 3. l. 1. c. 18. q. 2. Less. c. 6. cit. n. 53. Pal. §. 7. n. 3. Pirh. hic n. 58. & alij supra. Ratio est, quia tale dubium pugnat cum bona fide, ut habetur l. si fur. 32. §. si quis 1. ff. de Usurp. & Usucap. Et certè ita dubitans, an licitè possit rem retinere, si nihilominus retinet, hoc ipso peccat, tum quia se exponit periculo peccandi, tum quia quod non est ex fide, h. e. quod non fit cum determinato iudicio conscientie esse licitum, peccatum est.

Neque aliud probant rationes allatæ in contrarium. Ad 1. non tantum is bonam fidem habet, qui positivè credit rem esse suam, sed etiam cum post adhibitam sufficientem diligentiam nescit esse alienam, ut colligitur ex c. fin. h. t. Ad 2. id verum est de eo, qui incipit possessionem rei cum dubio, non verò de eo, qui possessionem bona fide cœptam, dubio superveniente, continuat, nisi omittat moralem diligentiam in inquirendo. Ad 3. ut paritas sit, debet utrinque poni dubium practicum, quo casu Præscriptionem non procedere, supra dictum est. Ad 4. eadem est responsio. Ad 5. Fides Divina debet esse firmissima, adeoque excludere qualecunque dubium: in Præscriptione autem sufficit Fides simplex, quòd res aliena non sit, cui non officit speculativum dubium, nisi quando cum tali dubio inchoatur Præscriptio.

Dices: cum tali dubio non licet inchoare præscriptionem; ergo nec continuare. R. N. Conf. nam quòd continuari cum tali dubio Præscriptio possit, est beneficium possessionis bona fide capte circa ejusmodi rem, quod dici non potest, quando dubium initio Præscriptionis adest.

66 Quæritur 5. an, qui ex ignorantia rem ut suam usurpat, habeat bonam fidem requisitam ad Præscriptionem? Certum est 1. non habere bonam fidem, adeoque præscribere non posse, qui rem alienam possidet, ex ignorantia vincibili, & affectata putans esse suam. Molin. tr. 2. de Just. D. 64. n. 2. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 8. n. 1. Pirh. hic n. 59. Ratio est, quia Præscriptio cum tali ignorantia non potest fieri sine peccato mortali; talis enim credulitas æquivalet scientie rei alienæ; adeoque Præscriptio ex illa orta non minus reprobata est Jure Canonico, quam ea, quæ fit ex conscientia rei alienæ.

Certum est 2. quòd ignorantia invincibilis facti non excludat bonam fidem ad præscribendum necessariam. Less. l. 2. de Just. c. 6. n. 16. & 18. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 195. Pirh. hic n. 60. Ratio est; quia ignorantia inculpabilis facti, sicut excusat à culpa, ita neque impedit bonam fidem, vel Præscriptionem, cum non sit à Jure repro-

bata: talem habet, qui rem accepit à fure, nesciens esse furem; vel à Præloato rem Ecclesie, credens Capitulum consensisse. Imò ejusmodi error facti cuilibet Præscriptioni annectitur, cum præscribens credat rem possessam sibi competere, quæ tamen revera eidem non competit.

Certum est 3. Præscriptionem non impediri per ignorantiam Juris non liquidi, sed dubij, & controversi. Molin. D. 64. cit. n. 13. Laym. l. 8. tr. 1. c. 8. n. 12. Haun. tom. 1. tr. 3. n. 206. cum cæteris supra. Ratio est, quia Jus controversum, & circa quod sunt diversæ probabiles sententiæ DD. relinquit utramque partem probabilem, ut adeo in praxi, quam quis velit, amplexari possit bona fide, & conscientia. Accedit, quia de ratione Juris, seu Legis est esse manifestam can. erit 2. dist. 4. ibi, Manifesta quoque. Igitur Jus dubium, & incertum propriè non est Jus, ac proinde ignorantia illius Ignorantia Juris dici non potest.

Tota igitur Controversia in id tan- 67 dem cadit, an ignorantia invincibilis Juris clari, & indubitati constituat malam fidem, & impediat Præscriptionem? Viderur non impedire Præscriptionem. 1. quia Jus Canonicum c. vigilantis h. t. solum eam malam fidem excludit à præscriptione, quæ peccatum constituit, at ignorantia Juris invincibilis nullum inducit peccatum. ergo &c. 2. c. pervenit 4. de empt. & vendit. donatarius contra reperentem domum, ex donatione invalida, adeoque cum Ignorantia Juris acquisitam, se defendit Præscriptione. 3. Ignorantia ista eo ipso, quòd sit invincibilis, est inculcata, & conf. apta bonam fidem inducere, quæ ad præscribendum sufficiat arg. l. sed & si 25. §. quodsi 6. ff. de heredit. petiti.

Sed verius est Juris manifesti ignorantia Præscriptionem Ordinariam impediri, nisi persona volens præscribere talis sit, in qua ejusmodi ignorantia toleretur. Ita Abb. in c. 12. h. tit. n. 8. Covar. Reg. possessor p. 2. §. 9. n. 8. Azor p. 3. l. 1. c. 18. q. 5. Fachin. l. 8. contr. c. 28. Molin. D. 64. cit. n. 4. Laym. c. 8. cit. n. 11. Less. c. 6. n. 14. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. n. 143. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 198. Vallens. hic §. 3. n. 2. Zoel. n. 16. Pirh. n. 61. Engl. n. 15. König n. 36. Wiest. n. 46. Ratio est, quia Præscriptio est modus acquirendi dominium Jure humano inventus, & introductus. Ergo locum non habet, ubi eandem prohibet Jus humanum. Sed stante ignorantia Juris clari eandem prohibet l. nunquam 31. ff. de Usurp. & Usucap. l. Juris 4. & l. seq. ff. de J. & F. J. l. pro emptore 2. §. si à pupillo 15. ff. pro emptor. l. quemadmodum 7. C. de agric. & censit.

Proceditque responsio, ut ejusmodi errans, utcunque in physicè bona fide sit, ne quidem in conscientia uti Jure Præscriptionis possit; quia Leges hic non fundan-

tur in præsumptione vera malæ fidei, sed errantem in ficta mala fide constituunt, & nolunt, ut error Juris ad lucrum, & commodum Præscriptionis prodesse valeat.

68 Dixi autem 1. *Error Juris manifesti impedire Præscriptionem*, intellige, rei, quæ cum ejusmodi ignorantia possidetur; nam talis ignorantia, seu error inculpatus sufficit ad præscribendos fructus ex tali re bona fide perceptos, atque consumptos. Ita l. cit. Laym. Vall. Pirh. n. 63. Ratio est, quia error circa fructus videtur esse error facti; existimat enim possessor se illos percipere ex re sua. Ignorantia autem facti, ut dictum est n. 46. ad Præscriptionem prodest.

Dixi 2. *Præscriptionem ordinariam*; nam tricenaria, & quadragenaria Præscriptioni ignorantia Juris manifesti invincibilis non obest, ut notant Covar. Reg. possessor p. 2. §. 7. concl. 2. Less. c. 6. cit. n. 17. Haun. n. 203. Pirh. n. 62. König n. 37. Wiest. n. 47. Ratio est, quia in hac Jus Civile non exigit bonam fidem, vel titulum. Igitur Jure Civili tricenaria Præscriptio valet etiam cum errore Juris. Si Jure Civili valet, valebit etiam Jure Canonico; nam Jus Civile in negotio Præscriptionis, ut bene advertit Less. l. cit. tantum correctum est quoad malam fidem, quæ est cum peccato.

69 Dixi 3. *Nisi persona talis sit, in qua ejusmodi ignorantia toleratur*; nam si ignorantia hæc detur in milite, minore 25. annis, mulieribus, rusticis &c. non habentibus copiam peritorum, quos consulant, non impedit præscriptionem; nam in his ignorantia Juris toleratur, neque inducit præsumptam malam fidem. Less. c. 6. cit. n. 17. Pal. §. 3. n. 4. Haun. n. 197. Pirh. n. 62. Wiest. n. 44.

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. Ad 1. et si c. *vigilanti cit.* excludatur sola illa mala fides, quæ cum peccato consistit, non tamen inde inferitur, eam fidem, quæ ex ignorantia Juris procedit, admittam esse, sed id relinquatur decisioni aliarum Legum; constat autem ex Legibus, quas in Probationem responsionis n. 67. allegavi, ignorantiam Juris manifesti obesse Præscriptioni. Igitur cum Præscriptio vim suam omnem à Jure habeat, sequitur cum ignorantia ista Juris nullam posse constitui Præscriptionem. Ad 2. in textu c. *pervenit cit.* sermo est de Præscriptione 30. vel 40. annorum, in qua admittimus non obesse ignorantiam Juris. Ad 3. ex dictis patet bonam fidem Theologicè, i. e. bonam conscientiam ad uti capiendum requiri, non tamen sufficere, si adsit mala fides civiliter, i. e. quæ vitium aliquod ex Lege habeat, Præscriptionem prohibente: quale vitium etiam habet possessio cum ignorantia Juris manifesti.

70 Quæritur 6. an, & quomodo mala fides authoris noceat, & bona proffit Successori

ad præscribendum? Pro resolutione advertito, Successorem alium dici Universalem, alium Singularem. *Universalis* est, qui titulo universalis, atque in universum Jus defuncti succedit, uti est, qui succedit titulo hæreditatis, etiam si præter ipsum adhuc sint alij co-hæredes. *Successor Singularis*, seu *Particularis* est, qui ex titulo singulari v. g. emptio-nis, donationis, legati &c. rem ab alio consequitur. Rursum Successor, & hæres alius est *Immediatus*, quinempe ipsi defuncto immediate succedit; alius *Mediatus*, qui hæredis defuncti hæres est. His notatis

B. 1. Bona fides authoris prodest Successori tam singulari, quam universalis, ita, ut nisi mala fides supervenerit, in re aliqua succedens bonæ fidei possessori possit etiam computare tempus antecessoris sui, & accessione illius temporis, quo antecessor rem bona fide possedit, complere Præscriptionem. Molin. tr. 2. D. 65. n. 3. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 17. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 213. Pirh. hic n. 65. König n. 40. Wiest. n. 48. & perspicue traditur §. *inter 13. Inst. de Usucap. l. id tempus. 14. ff. eod. & l. Pomponius 13. §. cum quis 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Ratio est, quia author tradit rem Successori cum omni Jure, quod ipse habuit; est autem pars Juris cœpisse Præscriptionem, ergo &c. Hinc si Petrus e. g. fundum alienum bona fide vendit Paulo, quem quinque annis possedit, poterit Paulus, bona fide eundem emens, complere Præscriptionem, si rursus alius quinque annis inter præterentes eundem bona fide possideat §. *inter cit.* Imò si defunctus possidebat bona fide, sed sine titulo, ideoque indigebat longiore tempore ad præscribendum, ejus hæres, si non sit suus, sed extraneus, poterit breviori tempore præscribere; quia incipit bona fide possidere, & cum titulo hæreditatis, ut bene Pirh. hic n. 74. Dixi, *Si sit extraneus*; nam si hæres suus sit, nisi velit renuntiare titulo Suitatis, non potest breviori tempore præscribere, sed tempus antecessoris sui continuare debet usque ad tempus requisitum ad complendam Præscriptionem sine titulo: & ratio est, quia hæres suus censetur fictione Juris continuare dominium defuncti tanquam unus, & idem cum defuncto, ideoque cum etiam ante aditam hæreditatem acquirat dominium illius rei, non censetur habere novum titulum ad acquirendum dominium rerum hæreditarum, & cons. ad præscribendum. Addidi, *Nisi velit renuntiare titulo Suitatis*; nam hoc potest, ita, ut succedat non tanquam suus, sed titulo agnationis, vel cognationis, aut successio-nis Jure Prætorio, ut filius emancipatus, secundum quod non spectatur fuitas, vel patria potestas: & tunc jam habebit titulum ad præscribendum suo nomine.

B. 2. mala fides authoris non nocet Successori singulari, quo minus possit rem præ-

præscribere, inchoando à propria possessione bonæ fidei §. diutina 12. *Inst. de usucap. l. an vitium 5. ff. de divers. temporal. præscript.* Covar. *Reg. possessor p. 2. §. 9. n. 8.* Azor. *p. 3. l. 1. c. 18. q. 7. Fachin. l. 1. contr. c. 66.* Molin. *tr. 2. d. 65. n. 1. Less. l. 2. c. 6. n. 44.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 18.* Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. §. 9. n. 1.* & cæteri passim. Ratio est, quia successor particularis non repræsentat authorem, & conf. licet author communicet illi omne jus, quod ipse circa rem illam habuit, quam successori particulari concedit, non tamen hoc ipso communicat ei vitia personalia. Igitur mala fides Authoris non poterit successori particulari obesse ad præscriptionem. *Excipitur 1.* si succedat in re, quæ vitio reali affecta censetur, v. g. quia furtiva, aut violenter occupata; nam ista usucapi non potest saltem tempore ordinario, ad quoscunque pervenerit, nisi purgetur vitium, ut dictum est *supra n. 37.* *Excipitur 2.* si res sit immobilis, & possideatur, vel alienetur ignorante illo, ad quem pertinet; hæc enim licet aliàs infra 10. aut 20. annos præscribi possit, ab eo tamen, qui ita accepit à possessore malæ fidei, præscribi non potest, nisi tricennio, ut habetur *Auth. malæ fidei C. de præscript. long. temp.*

72 *§. 3.* Probabilius Successor universalis, & immediatus, quamvis sit bonæ fidei, rem tamen ab authore malæ fidei possessam, sibi que hæreditate relictam, non potest de Jure communi præscribere præscriptione ordinaria §. diutina 12. *Inst. de usucap. l. cum hæres 11. ff. de divers. temporal. usucap. l. fin. C. communia de usucap.* Abb. *in c. 17. h. t. n. 29.* Covar. *Reg. possessor p. 2. §. 9. n. 1.* Fachin. *l. 1. contr. c. 66. & l. 8. c. 27.* Azor. *p. 3. l. 1. c. 18. q. 7.* Molin. *tr. 2. d. 65. n. 4.* Laym. *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 18.* Less. *l. 2. c. 6. n. 42.* Pal. *p. 31. D. un. p. 22. §. 9. n. 1.* Pax Jord. *l. 14. tit. 24. n. 36.* Haun. *tom. 1. tr. 5. n. 208.* Ratio est, quia cum ejusmodi Successor, seu Hæres cum defuncto malæ fidei possessore censeatur una moraliter persona per Juris fictionem, conf. utriusque etiam possessio una erit. Igitur cum possessio authoris ob malam fidem physicam nulla fuerit, etiam Successoris ob malam fidem fictam nulla erit, sine possessione autem non currit Præscriptio, ergo &c. Hinc rectè Imp. *l. vitia 11. C. de acquir. vel retin. possess. Vitia possessionum, inquirunt, à majoribus contracta perdurant, & successorem authoris sui culpa comitatur.* Estque hoc adeo verum, ut ejusmodi hæres etiam à se inchoando possessionem Usucapionem complere non possit; quia dicta Jura loquuntur universaliter, & urget eadem ratio; nam licet accessione defuncti non utatur, tamen non cessat repræsentare personam defuncti, & ejus vitia.

73 *Excipitur tamen 1.* si hæres præter ti-

tulum hæreditatis habeat alium titulum, ex quo præscribat v. g. donationis, emptionis &c. ut si defunctus rem, quam prius pignori alicui dedit, postea alteri vendidit, & hæres eam emat, vel redimat; tunc enim mala fides defuncti non impedit, quo minus hæres rem illam possit præscribere; quia non titulo hæreditatis, sed redemptionis eam possidet *l. an vitium 5. §. ex post facto 1. ff. de divers. temporal. præscript.* Molin. *l. cit. n. 5.* Zoel. *hic n. 14.* Pirh. *n. 69.* *Excipitur 2.* si sit Successor in Dignitate, vel alio Beneficio Ecclesiastico; nam huic mala fides antecessoris non nocet. Covar. *§. 9. cit. n. 7.* Zoel. *n. 14. cit.* Pirh. *n. 71.* Wiest. *n. 53.* Ratio est, quia hic ab antecessore titulum, seu causam non habet, sed à collatore, nec possidet Dignitatem, vel Beneficium tanquam hæres antecessoris, sed novum Jus ex nova collatione consequitur. Igitur vitijs antecessoris non impediatur, quin præscribere rem à se bona, ab antecessore malæ fidei possessam possit, modò non uratur accessione temporis, quo antecessor illam malæ fidei possedit. *Excipitur 3.* nisi aliud obtineat per Statuta particularia, & Jura municipalia; nam hoc, ut initio præf. num. indicavi, tantum procedit de Jure communi: de Jure nostro Bavariæ mala fides antecessoris etiam Successori universali non officit, modò iste non utatur accessione temporis, quo rem præscribendam possidebat defunctus. *Landrecht Tit. 9. art. 7.*

Excipiunt aliqui 4. Si Præscriptio sit tricenaria, vel quadragenaria. Sed ego distinguo, & nego posse præscribere titulo pro hærede, posse ex titulo præsumpto. Ratio primi est, quia quantocunque tempore possideat, semper vitium possessionis manet, & conf. semper impeditur Præscriptio. Ratio 2. quia tunc novus ille titulus purgat vitium possessionis; unde ex illo præscribere hæres poterit, nisi alitunde resistat Lex.

74 *§. 4.* Mala fides authoris non obest hæredi mediato, seu hæredi hæredis immediati, modò tum hic, tum ille bonam fidem habuerint; nam hic præscribere rem sic à se possessam potest, saltem numerando tempus à sua possessione. Covar. *Reg. possessor p. 2. §. 9. n. 6.* Molin. *D. 65. cit. n. 7.* Less. *l. 2. c. 6. n. 43.* Pal. *p. 22. cit. §. 9. n. 4.* Haun. *tom. 1. tr. 5. n. 209.* Pirh. *hic n. 70.* Wiest. *n. 61.* Ratio est, quia primus hæres tantum habuit fidem malam fictione Juris, ut ponitur, quatenus sc. repræsentat personam defuncti, qui mala fide rem possidebat. Igitur mala fides authoris ad hunc mediatum hæredem non transit; alioquin duplex daretur fictio, quam Jura reproband in una, eademque causa. *Neque obstat,* quod mala fides vera defuncti pariat in hærede fidem fictione Juris malam; non enim sequitur, quod hæc fides ficta mala hæredis immediati debeat aliam fidem malam fictam parere; causam dat Less.

l. cit. quia fides mala ficta est veluti umbra malæ fidei; umbra autem umbram non facit, sed verum corpus. *Neque etiam obstat*, quod obligatio restituendi, & satisfaciendi ex delicto, sive mala fide defuncti orta transeat etiam ad hæredem mediatum, non obstantem bona illius fide; hoc enim verum duntaxat est, si ante Præscriptionem completam cognoverit rem esse alienam: secus, si bona fide rem illam per tempus a lege præscriptum possederit; sic enim præcedens vitium omnino purgatum, & authoris defuncti conscientia, quantum potest, exonerata jam esse censetur, quippe quæ tamdiu solum obligabat illum ad restituendum, quamdiu aliena esset, qualis esse in casu præfenti desijt.

75 Excipiunt communiter DD. si Hæres ille mediatu sit hæres suus; hic enim usufructu non potest titulo Hæredis; quia, ut notat Less. *l. cit.* hæredes sui censentur continuare titulum defuncti: unde cum iste non habuerit titulum, utpote hæres mali authoris, nec hæres ejusdem habet. Extraordinariâ tamen Præscriptione, videlicet 30. vel 40. annorum præscribere etiam iste potest, nisi Jus adversetur, ita tamen, ut non liceat uti accessione temporis Sui antecessoris, nisi etiam iste præscribere potuerit.

Quod de Hærede mediato dictum est, multo magis verum est de eo, qui ab hærede immediato, bona fide rem suam esse existimante, pariter bona fide per emptionem, donationem &c. accepit; nam in hunc multo minus fictio Juris continuari potest, cum neque personam hæredis immediati, neque authoris repræsentet.

76 Quæritur 7. an mala fides Antecessorum Provinciæ, Civitatis, Collegij, aut alterius Universitatis nociva sit successoribus, ut res, vel Jura à se possessa nequeant præscribere, etsi habeant fidem bonam? Negant Innoc. in c. cura 11. de Jur. Patron. Vasq. *l. 2. contr. c. 71. n. 5.* Balb. de præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 17. n. 3. Gilcken simili tr. p. 2. memb. 2. c. 6. n. 22. quos citat, & sequitur P. Wiest. *hic n. 56.* Rationem dant, quia mala fides est quid facti *l. bonæ 48. §. item 1. ff. de acquir. rer. dom.* & cadere in ignorantem nequit præsertim justâ causâ, qualem habere censetur, qui in alterius locum succedit juxta Reg. qui in alterius 42. ff. Putatque Gilcken *l. cit. n. 24.* ad successorum præscriptionem sufficere, si major pars antecessorum, qui mala fide rem alienam possidebant, decesserint, & iisdem totidem alij bonæ fidei cives subrogati fuerint; quia ex Juris utriusque regula ad omnes refertur, quod publicè fit per majorem partem c. cum in cunctis 1. de his, quæ sunt à major. part. & *l. quod major 19. ff. ad municipal.* ut proinde fides bona succedentium potius, quam superstitum pauciorum mala attendi debeat.

77

Sed retinenda videtur affirmativa sen-

tentia, & dicendum, si Antecessores in aliqua Universitate rem aliquam mala fide possederunt, Successores eorum, etsi bonæ fidei, rem illam nevitquam posse præscribere. Ita Fachin. *l. 8. contr. c. 25.* Rath tr. de Usucap. c. 2. n. 58. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 219. Pirh. *hic n. 73.* testaturque cit. D. Rath, ita responsum sapius à Facultate Juridica Ingolstadtensi, & approbatum à tribus alijs Marburgensi, Coloniensi, & Moguntina. Ratio est, quia etsi defunctis civibus novi successerint, civitas tamen (idem de quavis Universitate) semper est eadem, nec mutat possessionem, vel titulum. Igitur cum initio vitiosa possessio fuerit, talis manebit, & cum ea communitas in mala fide. Ex quo sequitur, si Monasterium ante 100. vel 300. v. g. annos prædium vendidit alicui civitati, sine debita solemnitate, v. g. absque consensu Episcopi, cui Monasterium subjectum est, etiam post tantum tempus, si Monasterium errore Juris in civitate emente probaverit, repeti prædium illud posse, ut bene advertit Pirh. *l. cit.*

Ad Argumentum contrarium dico id procedere in ijs, qui persona ab antecessore diversa censetur; non verò in communitatibus, quæ nunquam moriuntur: Hinc Bald. in l. imperium 3. ff. de Jurisd. in præscriptione Universitatis requirit, ut initio major pars illius bonam fidem habuerit, indeque infert, si hæc ab initio non adfuerit, Jurisdictionem v. g. in Castrum aliquod à Populo nunquam præscribi, quod cum idem semper sit numero populus, mala fides semper videatur continuari.

78 Quæritur 8. an mala fides Prælati noceat Ecclesiæ in negotio Præscriptionis? *W.* In hac quæstione sequentes poni regulas. 1. Si notoriè constet rem alienam ab Ecclesia, vel Monasterio possideri, non potest Prælatu eam retinere, sed restituere debet; quia ad boni Administratoris officium pertinet, ut aliena non retineat cum alterius injuria arg. can. generalis 12. in fin. dist. 54. Abb. in c. fin. b. tit. n. 41. Pirh. n. 77. 2. Si non sit notorium, quod sit aliena, & solus Prælatu sciat alienam esse, videndum, an probare possit alienam esse, vel non. Si primum, monere de hoc Capitulum deberet; secus, si secundum arg. can. si tantum 2. caus. 6. q. 2. nec tenebitur eo casu rem ejusmodi restituere; quia frustra restitueret; posset enim Capitulum restitutum repetere, cum non teneatur credere Prælatu asserenti rem alienam esse, nisi Prælatu hanc suam asseritionem probet. Abb. *l. cit. n. 42.* Pirh. n. 77. cit. Unde tali casu ex parte Capituli dabitur locus Præscriptioni, non tamen sine discrimine; nam eo casu 3. Videndum, an res, de cujus Præscriptione agitur, communiter possideatur à Prælatu, & Capitulo, vel non. Si primum, probabilis locus non est præscriptioni; quia

quia requiritur, ut etiam Prælati sit bonæ fidei. Laym. in c. fin. b. tit. n. 7. Pirh. n. 78. & ratio est, quia Lex præscriptionis est odiosa, & ideo restringenda, ita, ut propter malam fidem unius partis destruat bona fides alterius. Si secundum, pars habens bonam fidem præscribet, quod ipsa possidet; non præscribet, si habeat malam, neque proderit malam fidem habenti bona fides alterius, aut vicissim.

79 Quæritur 9. an mala fides respectu unius impediatur Præscriptionem respectu alterius? Quæstio formari potest vel de re, quæ præscribitur, vel de persona, contra quam præscribitur.

Quoad primum certum est, quod mala fides respectu unius rei, aut Juris non impediatur Præscriptionem alterius rei, vel Juris distincti bona fide possessi; quia bona fides solum requiritur respectu illius rei, vel Juris, quod præscribitur. Molin. tr. 2. D. 63. n. 13. Et 14. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 10. n. 2. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 181. & alij passim. Ex quo sequitur 1. si quis habeat malam fidem circa unam partem fundi, quem possidet, bonam autem circa alteram, eum mala hac fide non impediri, quin legitimo tempore præscribere possit partem fundi bona fide possessam. Sequitur 2. si quis sciat rem quidem alienam esse, sed inculpabiliter ignoret alteri in ea competere Usufructum, Hypothecam, aut simile aliquod Jus, eum præscribere posse quoad hæc Jura, quæ bona fide ignorat, etsi præscribere non possit rem ipsam, quam scit alienam esse. Sequitur 3. si quis dubitat, an is, à quo rem emit, verè fuerit dominus ejusdem, putet autem bona fide alio titulo, v. g. hæreditariæ successione rem illam ad se pertinere, hoc titulo eam rem ab ipso præscribi posse.

Quoad alterum respondendum est negativè, prout aperte colligitur ex l. aut qui 5. §. si quis 5. ff. quod vi aut clam, & docet Molin. D. 63. cit. n. 12. Casus esse potest, E. g. Titius possideat fundum, quem putat esse Caji, est autem Sempronij, quod inculpabiliter nescit: in hoc casu dico nec contra Sempronium eum posse præscribere. Ratio est, quia tali casu revera & simpliciter subest mala fides, & peccaminosa conscientia, quacum Præscriptio saltem Jure Canonum non potest procedere.

80 Quæritur 10. an probari à præscribente debeat bona fides possessionis? R. ordinariè probari à præscribente non debet,

sed à Jure præsumitur? quia in ignorantia consistit, quæ quis putat rem esse suam, quæ revera est aliena. in Jure autem ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur l. verius 21. ff. de probat. & Reg. præsumitur 47. in 6. Quare qui malam fidem possessori opponit, ipse probare hanc debet; nam tamdiu se possessor bonæ fidei præsumptione tueri potest, quamdiu mala ab Adversario non probatur. Idque verum est, etiamsi absque titulo possideat, nisi tamen contra jus commune possessionem alicujus rei acquisiverit, vel possessionis suæ nuper acquisitionem nullam asserere possit, aut si postquam denuntiatio eidem facta est rem esse alterius, ipse veritatem neglexerit inquirere.

Detegitur autem, & probatur mala fides ex conjecturis, quarum complures afferunt Menoch. de arbitr. cas. 225. per totum, Mascard. de Prob. Vol. 3. concl. 1004. per totam, Pax Jordan, l. 14. tit. 24. n. 49. P. Westb. n. 64. Et duob. seqq. Potissimè sunt 1. si possessor sine titulo rem possideat, & possessio sit recens. 2. si emit rem, postquam denuntiatum ei fuit, non esse vendentis. 3. Si emit, non servatis Juris solemnitatibus, statutis pro emptionis Contractu. 4. Si præscribens ipse coram alijs dixit, se scire rem illam esse alterius. 5. Si fama existat in vicinia, quod alterius fuerit, quam venditoris. 6. Si hoc testium depositione probetur. 7. Si præscribens primum post adeptam possessionem curavit titulum possessionis consequi. 8. Si occupet rem alienam absente domino. 9. Si contraxit cum insolitis cautelis; nam in hoc dolus præsumitur. 10. Si emit à prodigo, lusore, filiosam. &c. 11. Si emit à Procuratore vendente rem nomine principalis, & Procuratorium tempore contractus non curavit sibi ostendi; nam si postea deprehendatur mandatum fuisse invalidum, vel nullum, emens præsumitur in mala fide. 12. Si penes ipsum possessorem rei existant Instrumenta, Litteræ, & Libri, eam rem alienam esse perspicue perhibentes: quia quilibet scire, & intelligere præsumitur tenorem instrumentorum, & scripturarum, quæ in Scrinijs, & Archivio suo habet, eorum præsertim, quæ Jura sua concernunt, aut pertinent ad officium, & administrationem. 13. Si alienam esse scire potuit ex Jure communi, vel municipali. Ex his, aliisque indicijis poterit Judex suum formare arbitrium in conjectanda præscribentium bona, vel mala fide.

§. V.

De Titulo ad Legitimam Præscriptionem requisito.

S U M M A R I U M.

81. 82. 83. Tituli Definitio, & multiplicitas.

84. 85. Ejus Necessitas.

86. 87. Divisio in Verum, Putativum, Coloratum, & Præsumptum.

Ggg 2

88. 89.

88. 89. 90. Quando sufficiat Præsumptus?

91. Qualis requiratur ad præscribendas Servitutes?

92. Quid requiratur, ut usucapere aliquis possit Titulo pro Emptore, pro Hærede, pro Derelicto?

81 **Q**uæritur 1. quid hic veniat nomine Tituli? *Tituli nomine hoc loco aliud non venit, quam causa ex se habilis ad transferendum dominium, ut sunt donatio, emptio, permutatio, fideicommissum, legatum, occupatio rei pro derelicto habitæ, aditio hæreditatis &c. quibus si tradens fuit dominus, & alienandæ rei potestatem habuit, ipsum dominium; sin minus, saltem usucapiendi conditionem transfert. Hinc tot sunt Tituli usucapiendi, & præscribendi rem alienam, quot sunt causæ ex se habiles ad transferendum dominium. Præcipui sunt octo sequentes, pro soluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro suo, de quibus agit ff. lib. 41. tit. 4. & seqq. & C. libr. 7. tit. 26. & seqq. De his longiorem tractationem Civillistis relinquo; ego solum brevem terminorum explicationem subijcio.*

82 **Itaque** 1. *pro soluto usucapit, qui rem indebitam quasi debitam ab eo, qui solvit, bona fide accepit l. non solum 33. §. si mihi 3. ff. de Usurp. & Usucap. 2. pro emptore, qui revera emit rem alienam bona fide ab eo, quem putabat esse dominum rei, cum non sit, vel qui à domino quidem emit, sed qui alienare non potuit, cum emens inculpabiliter existimaverit eum alienandi potestatem habere. 3. pro hærede, qui cum hæres sit institutus, inter res hæreditarias possidet rem alienam, quam si defunctus non possedit mala fide, hæres legitimo tempore potest præscribere titulo pro hærede. 4. pro donato, qui possidet rem sibi donatam ab eo, qui non erat dominus, sed eum dominum rei esse bona fide credebat l. pro donato 1. ff. pro donat. 5. pro derelicto, qui rem ab alio, quam domino suo possessam, & ab eo habitam pro derelicto, ut talem apprehendit, & possidet l. id quod 4. ff. pro derelict. 6. pro legato, qui accepit tanquam legatum, quod legatum non est, vel quod legatum est, ab eo tamen, qui legare non poterat l. legatorum 1. & seqq. ff. pro legat. 7. pro Dote, qui rem alienam bona fide pro dote accipit l. Titius 1. ff. pro dot. 8. pro suo, qui falso, sed iusto, & probabili errore ex aliqua justa causa, quâ consuevit acquiri dominium e. g. occupationis, alluvionis, fructus rei emptæ &c. rem alienam possidet l. pro suo 1. & seqq. ff. pro suo.*

83 **Præter** hos titulos sunt adhuc alij, qui ex sententia in iudicio lata, transactione, permutatione, societate exsurgunt; nam *pro iudicato* res iudicata usucapitur spatio decem annorum. *Pro transacto* usucapitur res, quæ relinquenti actionem, & à lite re-

93. Pro donato, pro suo, pro soluto?

94. 95. 96. Utrum Hæredes sui usucapere possint Titulo pro Hærede?

cedenti Transactionis causâ traditur ab eo, qui cum non sit dominus rei, putat tamen se dominum ejusdem esse *l. ex causa 8. C. de Usucap. pro emptor. vel transact. Pro permutato*, cui danti rem suam alteri animo permutandi, ab hoc redditur res aliena, cujus dominium dans non habuit, sed bona fide putabatur habuisse. *Pro Socio* denique, cui soluta societate pars rei alienæ obtigit, quæ bona fide putabatur esse communis sociorum.

Quæritur 2. Utrum ad præscriptio- 84 *nem requiratur Titulus? 29. affirmative. Constat apertè ex c. si diligenti 17. h. t. l. Celsus 27. ff. de usurp. & Usucap. l. autina 4. & l. seq. C. de præscript. long. temp. l. fin. C. de Usucap. pro hæred. l. si nulla 6. C. de acquir. & retin. possess. l. nullo 14. C. de R. V. Ratio est, quia Titulus est causa, & fundamentum justæ possessionis, & sine eo non potest possessionem capiens habere bonam fidem, cum credere nequeat se habere jus possidendi, nisi credat se habere titulum, ex quo jus hoc oriatur. Hinc rectè l. improba 6. C. de acquir. & retin. possess. improba dicitur esse omnis possessio, quæ est sine legitimo titulo.*

Neque sufficit quicumque Titulus: sed requiritur talis, qui ex se sit habilis ad transferendum dominium, licet per accidens non transferat ob intervenientem probabilem ignorantiam, ac justum errorem. Unde Conductor, Commodatarius, Depositarius, Colonus, inquilinus rem conductam, commodatam, depositam &c. non possunt præscribere; quia non sunt iusti tituli, i. e. habiles, & sufficientes ad transferendum dominium.

Et hoc adeo verum est, ut si etiam in 85 Præscriptione centenaria, & immemoriali consistet præscribentem cum Titulo vitioso, & inhabili ad transferendum dominium possidere, eo ipso nulla sit Præscriptio, quippe quæ non potest sine bona fide consistere; nequit autem bona fides præsumi, quando constat de Titulo vitioso.

Neque obstat, quòd magna sit Præsumptio pro eo, qui tempore immemoriali possidet; nam præsumptio veritati cedere debet, igitur enervatio præsumptio bonæ fidei, quando constat de vitiositate Tituli. Fachin. l. 8. contr. c. 33. Mascard. de Probat. vol. 4. concl. 1378. n. 63. & seqq. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 5. n. 111. Pirh. hic n. 88.

Quæritur 3. qualis debeat esse Titu- 86 *lus, ut sufficiat ad præscribendum? Antequam respondeam, noto, quadruplicem communiter assignari Titulum, videlicet Verum, Putativum, Coloratum, & Præscriptum. Verus est, cui non subest ullus er-*

ror ut si res donata sit ab eo, qui dominus illius fuit, & potestatem alienandi habuit; tunc enim donatarius rem donatam possidet Titulo vero donationis. *Putativus*, seu *Existimatus*, quando probabiliter creditur intervenisse titulus, qui tamen à parte rei non intervenit, ut cum hæres alicui tradit rem aliquam tanquam ei legatam ex testamento, quæ tamen revera legata non est. *Coloratus*, qui etiam *Apparens* vocatur, qui apparet esse verus, sed tamen ob vitium occultum verus non est, ut si quis rem dono, aut emptione accipit à non domino, quem tamen credebatur invincibiliter esse dominum, aut eum à domino quidem accipit, sed qui potestatem donandi, vel vendendi non habuit. *Præsumptus* denique, quando ob temporis diuturnitatem Jus præsumit intervenisse Titulum, cum fortè non intervenit, nec à possessore in specie allegari possit, qualis fuerit: talis est, si iudicetur hunc fundum esse Pauli, utpote quem is, longo tempore possedit, etsi revera fuerit Petri. His notatis.

87 *§. 1.* Titulus *Verus* non est necessarius ad Præscriptionem; quia hic sine Præscriptione sufficit ad transferendum dominium. *§. 2.* Titulus *Coloratus* ad præscribendum sufficit, non tamen requiritur necessarium. *Quod sufficiat*, patet ex ratione data ad *Resp. 1.* nam si Titulus verus non requiritur, ergo sufficiet saltem *Coloratus*. *Quod verò non requiratur*, inde constat; quia, ut mox dicetur, etiam *Existimatus* sufficit. Et hinc

§. 3. Titulus *Existimatus*, seu *Putativus* ad præscribendum sufficit, si rationabiliter existimatus sit. Ita communis apud *JCtos* sententia, teste *Haun. tom. 1. tr. 5. n. 224.* Sumitur ex *l. ea res 5. & l. seq. ff. pro legat. l. non solum 33. §. l. quod vulgo 1. ff. de Usurp. & Usucap. & clarissimè l. si existimans, 48. ff. eod. ubi Paulus, Si existimans, inquit, debere tibi tradam, ita demum Usucapio sequitur, si tu putes debitum esse: aliud, si putem me ex causa venditi teneri, & ideo tradam; hic enim, nisi actio præcedat, pro emptore Usucapio locum non habet. Unde cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, præter Titulum pro emptore quilibet alius sufficiet etsi tantum sint existimati. Neque obstant *l. Celsus 27. ff. eod. & l. nullo 24. C. de R. V.* ubi dicitur requiri existentia Tituli ad Præscriptionem; nam ex Leges intelligendæ sunt ita, ut contentæ sint existentia Tituli merè existimatâ, & intentionali.*

Addidi autem, si rationabiliter existimatus sit; nam irrationabiliter putatus Usucapionem non ponit *§. error 11. Inst. de Usucap. l. Celsus cit. l. pro donato 1. princ. ff. pro donat. l. si possideam 2. §. l. seq. ff. pro Legat. Gonzal. in c. 17. h. tit. n. 11. Haun. tr. 5. cit. v. 233. König hic n. 33.* Ratio est, quia opinio nihil ponit in re, & veritas prævalet opinioni, præsertim, ubi (ut in proposito

contingit) vertitur error facti proprii, qui in Jure non toleratur.

Quæritur 4. utrum aliquando sufficiat ad Præscriptionem Titulus *Præsumptus*? *§. 4.* cum distinctione: In præscriptione ordinaria longi temporis, videlicet 10. aut 20. annorum, uti etiam in trienniali Usucapione Titulus non præsumitur, sed requiritur, ut allegetur, & probetur titulus coloratus, vel existimatus, ut constat ex *l. Celsus, & l. nullo cit. & colligitur ex princ. Inst. in fin. de Usucap. & l. diutina 4. C. de præscript. long. temp.* Idque procedit non solum Jure Civili, sed etiam Canonico *can. placuit 15. §. præscriptionum caus. 16. q. 3.* nam quoad Titulum nullum est inter Jus utrumque discrimen. Excipiuntur Servitutes reales continuæ; nam hæc, ut infra n. 91, dicam, præscribuntur sine titulo.

In Præscriptione longissimi temporis, & multo magis in centenaria, & immemoriali ordinariè Titulus non requiritur, sed sufficit bona fides, quæ præscribens credit se Titulum habere, cum fortè non habeat *§. præscriptionum cit. l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* quia antiquitas possessionis, & lapsus tot annorum ex dispositione Juris habetur pro Titulo, & ex tam longo tempore præsumitur justa causa possidendi. *Covar. Reg. possessor. p. 2. §. 5. concl. 2. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 12. Less. l. 2. de Just. c. 6. n. 23. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 5. n. 4. & alij passim.*

Dixi Ordinariè; excipitur enim, nisi 89 aliunde contra præscribentem stet præsumptio malæ fidei; quæ justitiam præsumptionem elidat; aut nisi Jus resistat, & possessionem rei præscribendæ positivè prohibeat: Nam his casibus etiam in præscriptione longissimi temporis necesse est allegare, & probare Titulum, vel saltem possessionem immemoriam, ut cum alijs notat *Covar. l. cit. concl. 5.* Ratio est, quia tum cessat Titulus præsumptus, cum Juris communis error vel ignorantia, ut n. 67, dictum est, non profit in Usucapionibus. igitur nisi adsit alius Titulus, qui det justam causam possidendi, & sic præsumptionem malæ fidei, ex resistantia Juris, vel aliunde ortam, tollat, Præscriptio non procedet.

Dubium est, qualis resistantia Juris communis obstat Præscriptioni quadragenaria, Titulo non monitæ? *Certum est 1.* non exigi, ut ita resistat jus volenti usucapere, ut simul eundem reddat incapacem possessionis, prout resistit Laico in puncto Juris decimandi; nam ita si resistat, etiam tempore immemoriali præscribi non potest ob vitium possessionis.

Certum est 2. non sufficere resistantiam Juris quamcunque; nam præscribenti servitutem in fundo alieno etiam resistit Jus commune, quo omnia prædia libera esse præsumuntur: & tamen ad earum præscriptionem

titulus non est necessarius, ut paulò post dicitur.

Certum est 3. sufficere, si ita resistat Jus possessori, ut simul etiam assistat petitori, seu illi, contra quem præscribitur: sicut fit, quando Clericus extraneus vult præscribere Decimas in aliena Parochia; nam in hoc casu Jus commune assistit Parocho contra quemcunque extraneum possessorem.

90 An verò hòc requiratur, an contra sufficiat, si Jus possessori quidem resistat, sed tamen petitori non assistat, controversia est inter DD. Aliqui cum Abb. in c. 17. h. tit. n. 35. affirmant posterius, moti textu c. Episcopum 1. h. tit. in 6. ubi in præscribente, quando est ei Jus commune contrarium, titulus, vel possessio temporis immemorialis requiritur generaliter, neque fit mentio Juris assistentis petitori.

Sed melius negant Gloss. in c. 1. cit. V. titulum, Laym. ibid. num. 2. Pirh. n. 88. Wiest, hic n. 80. & alij ab hoc cit. Ratio est, quia si Jus commune non assistit petitori, tunc nec possessori resistit quoad hunc petitem, & conf. bonæ fidei præsumptio erit pro possessore contra hunc petitem, eò quòd in pari causa melior sit conditio possidentis. Ex quo sequitur casu, quo lis est inter duos Parochos de Decimis, non in ipsorum, sed in tertia alterius Parochia sitis, & ex his unus petat Decimas ab altero in Judicio, alter opponat se præscripsisse possidendo illas per 40. annos, hic alter necesse non habeat, ut alleget, & prober titulum; sed possessio tanti temporis ipsi erit pro titulo.

91 Quaritur 5. an & qualis Titulus requiratur ad præscribendam Servitutem? R. 1. in Præscriptione Servitutum realium, si continuæ sint, h. e. habentes actum continuum, ut aquæ ductus, suggrundij &c. regulariter Titulus non requiritur l. si quis 10. ff. si servit. vindic. l. apparet 5. §. si quis 3. ff. de itin. acti. que privat. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 285. & seqq. Ratio est, quia scientia, & patientia domini est loco Tituli, Legibus ita constituentibus, & patientiam domini consensum interpretantibus: conf. si sciat, & patiatur dominus, & præscribens fit in bona fide, tempore ordinario præscripta erit Servitus. Excipiunt DD. communiter Usufructum; nam hic ob damni gravitatem, & contentum rei emolumentum à realibus Servitutibus separatur, ut sine Titulo tempore ordinario præscribi nequeat: unde cum nullam eximatur à regula generali, quæ ad præscriptionem requirit Titulum, sicut eximuntur Servitutes reales, Titulus ad Præscriptionem ejusdem necessarius erit.

R. 2. Servitutes reales discontinuæ sine titulo non acquiruntur, nisi tempore immemoriali, adeoque titulo opus est, ut ordinario tempore acquirantur l. si cui 1. §. fin. & l. seq. §. idem Labeo 8. ff. de aqu. plu. ar. tend. l. hoc Jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de

aqu. quot. §. estivo. Covar. l. 1. var. c. 17. n. 11. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 226. & hoc teste Veteres Interpretes omnes, ac praxis hodierna summorum Tribunalium.

4. 3. existente Titulo, quem quis à putativo prædij domino obtinuit bona fide, omnes Servitutes indistinctè ordinario tempore præscribuntur l. fin. C. de præscript. long. temp. in fin.

Quaritur 6. quid requiratur, ut usu 92 capere aliquis possit Titulo pro soluto, pro emptore, & alijs supra assignatis? R. in omnibus requiritur possessio bonæ fidei, & ut hi ipsi Tituli non sint vitiosi. Præter hoc quidam ex illis specialia requisita habent; nam

1. Ut pro Emptore quis ufucapiat, regulariter necesse est, ut re ipsa intercesserit actio emptionis, neque sufficit, ut existimet se emisse; quia esset error in facto proprio, qui in Jure non toleratur, Excipitur, si alius e. g. servus, vel procurator, cui dominus rem emendam mandavit, eandem tradat domino, dicens se eam emisse, cum tamen furto illam sustulerit; nam eo casu sufficit Titulus existimatus ad ufucapiendum pro emptore, ut habetur l. fin. §. sed id 1. ff. pro suo, ubi etiam additur ratio; quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est.

2. Ut Titulo pro Hærede possim ufucapere, requiritur, ut is, cui me dico hæredem esse, revera mortuus fuerit. Hinc etsi crediderim Titium mortuum fuisse, cum tamen adhuc viveret, & ideo cœpi bona ipsius possidere tanquam hæres ejusdem, si inter illa bona res quædam aliena fuit, quam defunctus bona fide possedit, non possum illam ufucapere titulo pro Hærede; quia cum Titius adhuc vivat, revera hæres ejusdem esse non possum.

3. Ut Pro derelicto ufucapiam rem alterius; non debet esse pro derelicto habita ab ipso domino ejusdem; tum enim, si occupem rem illam, absque præscriptione eandem facio meam: sed debet esse pro derelicto habita ab alio possessore tertio, qui non sit ejusdem dominus, ut n. 82. insinuavi.

4. Ut pro Donato rem præscribam, requiritur, ut donatio Jure teneat; quia si pater filio donaverit, cum invalida sit donatio, non deserviret filio ad ufucapiendum sub hoc prætextu.

5. Titulus Pro suo, ut bene monet Haun. tom. 1. tr. 5. n. 238. non consideratur, ut est quidam generalis titulus transcendens alios titulos speciales, in quibus aliquo modo imbibitur; nam etiam qui pro emptore: pro donato, pro derelicto possidet, dicitur hoc sensu possidere pro suo, sed hoc loco habet rationem Tituli specialis, quando nempe res aliena à nobis bona fide possidetur ex aliqua causa, quæ ad alios nominatos titulos speciales non pertinet, & tamen apta est ex se conferre dominium, qualis est, si

feram alterius vicem pro silvestri ceperit, pecuniam securitatis causâ defossam, tanquam thesaurum apprehenderit &c.

6. Quod dictum est de Titulo pro suo, etiam verum est in Titulo pro soluto, nempe quod aliquando generalis sit, & transcendat varia genera solutionum factarum, sive ex causa iudicati, sive ex empto, sive ex donato &c. aliquando verò sit specialis, quod fit in casu, quo putas te mihi ex legato, vel alio quocunque titulo equum debere, & mihi in solutum tradis equum alienum, non significans mihi specialem titulum, sed tantum dicens, te debitorem esse huius equi; nam hac possessione in me translata, possum equum præscribere, & usufructuere titulo pro soluto; quia de nulla alia causa possidendi mihi constat.

94. Quæritur 7. Utrum hæredes sui, qui parentibus hæredes existunt, usufructuere possint titulo pro hærede, ut alij extranei? Negant Welsenbecius, Donellus, Hunnius, nisi his fundamentis. 1. Hæres suus non fit de novo dominus, sed Juris fictione jam antè fuit dominus, cum sit fictione Juris eadem persona cum defuncto, atque ad Præscriptionem requiritur titulus aptus ad transferendum dominium in eum, qui prius fuit dominus. ergo &c. 2. l. nihil 2. C. de usufructu pro hered. expressè dicitur, Nihil pro heredem posse usufructuere, suis hæredibus existentibus. 3. Hæres suus tantum improprie, & abusive dicitur Hæres, cum in eo non detur successio, sed continuatio dominij l. in suis 11. ff. de liber. & posthum. 4. l. qui legatorum 2. §. fin. ff. pro hered. Julianus negat filium rem à patre donatam pro heredem usufructuere posse. 5. similia habentur §. sui 2. Inst. de hered. qualit.

95. Sed nihilominus dicendum est, etiam Hæredes suos posse res alienas in hæreditate repertas usufructuere. Ita Gonzal. in c. 17. b. tit. n. 9. D. Arnold Rath tr. de usufructu. c. 3. n. 22. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 244. Magnif. D. Christoph. de Chlingenberg Inst. de usufructu. q. 16. & colligitur satis aperte ex l. si ancillam 4. §. si pater 1. ff. pro suo, ubi ex divisione à patre inter filios facta, post ejus mortem ea res dicuntur pro suo usufructuere, quæ alienæ in bonis patris inveniuntur; si enim id potest patris divisio in vita illius facta, & tamen quoad effectum ad tempus mortis suspensa, quidni & idem poterit voluntas patris testamento comprehensa, aut ab inte-

stato ex autoritate Legis intellecta? Conf. 1. quia licet inter patrem, & filium fictione Juris non detur successio, sed potius continuatio dominij, datur tamen & fortius jus hæreditatis: unde Sui Hæredes dicuntur filij. Conf. 2. si nova acquisitio hæreditatis præstat titulum extraneis hæredibus ad usufructuendas res in hæreditate repertas, nova administrationis, & pleni dominij acquisitio sufficiens erit ad præstandum eundem titulum. Conf. 3. Usufructuere hæredis versatur circa res alienas in hæreditate repertas, in quibus nulla potest dari in suis continuatio dominij, cum nec in patre dominium fuerit. igitur nihil impedit Usufructuere hujusmodi rerum in suis hæredibus.

Nec contrarium probant rationes, & textus in contrarium allegati. Ad 1. fictio Juris, quæ hæres suus censetur una persona cum defuncto, non est introducta in præjudicium suorum hæredum, sed in favorem præcisè: conf. fictio illa non impedit, quo minus rei veritas in præfenti prævaleat; est autem rei veritas, quod hæres suus antè non fuerit dominus. ergo &c. Accedit, quia, ut bene advertit Perez, licet hæres fictione Juris fuerit dominus rerum patrum, non tamen eas possedit, sed primùm incipit illas possidere; quando eas apprehendit, & hoc sufficit ad præscribendum res alienas, quarum nunquam fuit dominus, cum nec defunctus fuerit. Ad 2. Lex illa non dicit, quod sui hæredes non habeant jus usufructuendi pro heredem, sed quod non possint alij extranei quidquam ex illa hæreditate pro heredem usufructuere, quamdiu sui hæredes existunt, cum horum potior causa sit, utpote quibus ipso Jure quæsitæ hæreditas est. Ad 3. textus ille non dicit, quod non sint hæredes, sed quod quodammodo non videantur hæredes esse propter jus ad bona hæreditaria, etiam si hæredes non instituerentur: unde potius quidam abusus verborum est, quando hæredes sui dicuntur fuisse domini, quam quando Hæredes vocantur. Ad 4. in l. cit. additur filium rem à patre donatam pro heredem usufructuere non posse pro parte coheredum: quod omnino verum est. Ad 5. in textu cit. Inst. de usufructu. potius contrarium dicitur; nam ita ibi loquitur Imperator: Sed sui quidem hæredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, & vivo quoque patre NB. quodammodo domini (non simpliciter domini) existimantur.

§. VI.

De Tempore requisito ad Præscriptionem Rerum Corporalium.

SUMMARIUM.

97. 98. Aliqua advertenda.

99. 100. Quo tempore præscribantur res mobiles, & immobiles privatorum?

101. 102. Quo tempore præscribantur Res immobiles Ecclesiarum, Monasteriorum &c.

103.

103. 104. 105. 106. Quando Præscriptio centenaria contra Ecclesiam Romanam, & Quadragenaria contra inferiorem locum habeat?

97 **Q**uæritur 1. an, & quale tempus requiratur ad præscribendum? **R.** hoc varium est pro varietate rerum bonorum, quæ præscribuntur, tum personarum, contra quas præscribitur. Hinc pro faciliori dicendorum intellectu.

Advert. 1. Res, quæ præscribuntur, alias dici *Mobiles*, quæ loco moveri possunt, ut animalia, pecuniæ, vestes, instrumenta &c. alias verò *Immobiles*, quæ moveri non possunt, ut prædia, domus, & similia. Rerum suarum naturam sequuntur actiones, & Jura ad illas, tanquam accessorium ad principale: & ideo actiones, quæ competunt ratione debitorum pro rebus mobilibus, sicut & ipsa debita, bonis mobilibus accensentur; e contra Censuum annui, ususfructus, aliæque servitutes annumerantur bonis immobilibus, sicut & ipsi fundi, vel domus, quibus adherent. Sumitur ex *Clem. 1. v. cinque annui de V. S.* & notant *Molin. tr. 2. D. 68. num. 1.* *Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 5. n. 262.* *Pirh. hic n. 89.*

Advert. 2. aliquando præscribi contra præsentem, aliquando contra absentem. *Præsentem* olim dicebantur, qui sub eodem Præfide Provinciæ domicilia habebant *l. fin. C. de long. temp. præscript.* *Absentes*, qui sub diversis. Hodie *Præsentem* dicimus, qui in eodem Territorio, vel si hoc nimis amplum est, sub eodem Præfide, vel Judice domicilium habent, cujusmodi plerumque erunt, qui habitant in eadem civitate: & hinc *Absentes* dicentur, qui in diversis Territorijs e. g. civitatibus, diversis Judicibus, Gubernatoribus, Consulibus &c. habitantibus habitant. *Haun. tom. 1. tr. 5. n. 263.* *Pirh. n. 89. cit. Engl. n. 29.* *König n. 43.* Advertendum hoc ideo est, quia ordinariè minus tempus requiritur ad præscribendum contra præsentem, quam contra absentem: cujus ratio est, quia præsentem possunt facilius res suas apud alium existentes agnoscere, difficilius absentem, hinc durum esset absentem æquè citò rebus suis privari, ac præsentem.

98 *Advert. 3.* tempus Præscriptionis aliud dici breve, aliud longum, aliud longissimum, aliud denique immemorabile. *Breve* dicitur, quod est infra, vel supra triennium, minus tamen decennio; *Longum* sunt anni 10. inter præsentem, 20. inter absentem; *Longissimum* sunt anni 30. vel 40. *Immemorable*, cujus initij memoria non existit. Computari autem tempus Præscriptionis debet non de momento ad momentum, sed de die in diem, ut sumitur ex *l. in usucapionibus 6. & l. seq. ff. de usurp. & usucap.* Adeoque non est necesse completum esse totum diem ultimum Usucapioni, vel præscriptioni, præ-

fixum à Jure, sed sufficit, quòd ad eum perventum sit; nam etsi coeptus tantum sit, non completus, nihilominus completum censetur usucapendi tempus.

107. 108. 109. An procedat etiam in mobilibus earum bonis?

110. An centenaria Præscriptione, quæ Romana, gaudeant etiam Ecclesia inferiores exemptæ?

Neque obstat *l. in omnibus 6. ff. de O. & A.* ubi dicitur: *In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non finit obligationem*; nam textus istius Legis solum intelligendus est de actionibus personalibus, ubi dies postremus totus adhuc utilis Actori est, adeoque, ut contra Actorem præscriptum sit, necesse est totum effluxisse diem. Aliter se res habet in Præscriptione, quæ excludit actionem realem, nempe rei vindicandæ causâ datam; nam in hac dies aliqua sui parte coeptus pro completo habetur: & ratio est, quia in hac Præscriptione volunt Leges, ut cesset actio, si alter tanto tempore possederit; hoc autem verum est, si possessio ad ultimum diem saltem inchoatum pervenerit, etiamsi finitus non sit.

Quæritur 2. quanto tempore præscribuntur Res privatorum? **R.** 1. Res mobiles privatorum, quantumvis pretiosæ, cum Titulo præscribuntur triennio. *princ. Inst. de Usucap. & l. un. C. de Usucap. transform.* Neque obstat, quòd rebus immobilibus, ut statim dicam, amplius taxetur tempus; licet enim res mobiles celari possint, & ideo jus prosequendi illas difficilius reddi domino, plerumque tamen in earum amissione minus præjudicij creatur domino, quam in amissione immobilium. Adde, quia res mobiles, si bona fide possidentur, non ita occultari solent; jam enim fraudulenta occultatio bonam fidem everteret, imò rem furtivam efficeret, & sic nunquam usucapari posset tempore ordinario, ut dictum est *n. 37.*

2. res privatorum immobiles, si illi privilegiati non sint, ut sunt Pupilli, Minores &c. secundum dicta *n. 33.* & *38.* cum Titulo, & bona fide præscribi possunt inter præsentem quidem annis 10. inter absentem verò annis 20. *princ. & l. un. cit. l. diutina 4. & l. fin. C. de præscript. long. temp.* Quodsi aliquis partim præsentem, partim absens sit, semper tempus absentia duplicari debet, ita, ut si v. g. præsentia fuerit 8. annorum, & absentia duorum, ad complendam Præscriptionem præter illos octo annos adhuc quatuor requirentur *l. cum in longi 11. & Auth. quodsi quis C. de præscript. long. temp.*

3. sine Titulo cum bona fide res tam mobiles, quam immobiles privatorum, tam inter præsentem, quam inter absentem præscribuntur 30. annis, ut cum communi tradunt *Vivian. inc. 3. h. t. Azor p. 3. l. 1. c. 22. q. 6. & 8. Molin. tr. 2. D. 68. n. 4. Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 2. n. 13. Pal. tr. 31. D. un. p.*

un. p. 22. §. 11. n. 1. Vall. hic §. 6. n. 2. Zoesl. n. 3. Engl. n. 29. Pirh. n. 90. König n. 44. Wiest. n. 82. §. 85. Et quidem de rebus immobilibus clarè statuit l. sicut 3. & l. omnes 4. C. de prescript. 30. vel 40. ann. ex quibus Legibus ducitur argumentum etiam ad res mobiles privatorum; cum enim de his nihil statutum sit aliud, casu quo Titulus deficit, dicendum est pari passu procedere eo casu cum immobilibus.

101 Quæritur 3. quanto tempore præscribantur res Ecclesiarum, & Monasteriorum? n. 1. Res Ecclesiæ Romanæ, saltem immobiles, & adherentia istis Jura non præscribuntur, nisi lapso tempore 100. annorum. Ita statuitur c. ad audientiam 13. c. cum vobis 14. c. si diligenti 17. b. tit. c. fin. eod. in 6. & Auth. quas actiones fin. C. de SS. Eccl. Excipitur casus unicus c. fin. cit. ubi statuitur, etiam contra Ecclesiam Romanam præscriptioni quadragenaria locum esse, si bona Hæreticorum, qui dum viverent, Catholici putabantur, à Catholicis eorum filijs, vel nepotibus, aut extraneis quibuscunque 40. annorum spatio bona fide possessa sint. Dixi autem, Res saltem immobiles; nam de mobilibus infra n. 108. aliud quid statuetur. Addidi, Et adherentia istis Jura: particularia sc. nam quoad universalem Jurisdictionem in omnes fideles, & quoad plenitudinem potestatis Papalis per præscriptionem derogari non potest, sicut nec per Privilegium, ut dictum est num. 32.

n. 2. contra Ordinem, & Monasteria S. Benedicti ex privilegio Eugenij IV. item contra Congregationem S. Salvatoris ex privilegio Julij II. non præscribitur nisi 60. contra Monasteria Ordinis Cisterciensis S. Bernardi non nisi annis 100. quod ultimum Ordinibus Mendicantibus à Leone X. & Pio IV. concessum est ratione subjectionis immediatæ, quâ Sedi Apostolicæ subiecti, & in protectionem ejusdem recepti sunt, Videatur Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 36. art. 3. Molin. tr. 2. D. 72. à n. 1. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. num. 13. Less. l. 2. c. 6. n. 15. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 12. n. 4. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 300. Donat. Prax. Regul. p. 1. tr. 12. q. 10. n. 6. §. 11.

102 n. 3. Ecclesiæ alix, Romanâ inferioris, & non specialiter privilegiatæ, res suas immobiles non amittunt, nisi præscriptione quadragenaria. Sumitur ex c. de quarta 4. b. t. c. ad aures 6. eod. & patet ex toto Tit. C. ne rei Dominic. §. templor. vindicat. tempor. prescript. submoveat. Estque hoc Juris recentioris; nam per antiquos Canones ad præscribenda bona immobilia, & Jura Ecclesiastica non nisi 30. anni requirebantur, ut patet ex can. 1. 2. 4. §. 8. caus. 16. q. 3. de Jure Civili autem adversus Ecclesiam, & alia pia Loca non currebat, nisi præscriptio centenaria l. fin. C. de SS. Eccl. Utrumque hodie correctum est, Jure Canonico quidem

c. de quarta, & c. ad aures cit. cum alijs passim; Civili autem per Auth. quas actiones C. de SS. Eccl. quæ sumpta est ex Novell. 131. c. 6. Adeoque si Laicus rem Ecclesiæ ut propriam spatio 40. annorum bona fide possederit, eam sibi acquirit: quod usque adeo obtinet, ut procedat, etiamsi agatur de fundo dotali ipsius Ecclesiæ, ut monet Henr. Canif. in c. 3. b. t. n. 8.

Extenditur quadragenaria hæc Præscriptio etiam ad Monasteria, Hospitalia, & alia loca Religiosa, item ad Legata, & Donationes ad causas pias, ut constat ex Auth. quas Actiones cit. & docet Gloss. in c. de quarta cit. V. quadragenaria, Abb. ibid. n. 7. Covar. Regul. possessor p. 2. §. 2. n. 3. Molin. tr. 2. D. 72. n. 3. Haun. tr. 5. cit. n. 199. Et verum est, etiamsi pauperibus aliquid tantum in genere, & inderminatè legatum sit, ut rectè advertit Pirh. hic n. 95. Neque obstat, quòd eo casu pauperes, cum incerti sint, agere non possint; agere autem non valentibus non currat Præscriptio arg. l. super annali. 1. §. ne autem 2. C. de annali. except. nam licet pauperes agere non possint ad Legata, Episcopus tamen petere illa potest, qui curam pauperum debet gerere.

Quæritur 4. quandonam locum habeat 103 quadragenaria Præscriptio contra Ecclesiam Romanâ inferiorem, & centenaria contra Romanam? n. 1. ut legitime fiat, hæc notanda sunt, 1. quadragenaria hæc Præscriptio procedit tantum, cum præscribens habet Titulum; nam sine Titulo tempus immemorabile requiritur, præsertim, si Jus commune resitat, ut fit, quando Parochus extraneus possidet Decimas alienæ Parochiæ: hic ergo, nisi præter tempus 40. annorum, & bonam fidem afferat pro se Titulum aliquem coloratum, Decimas illas sibi non acquirit, nisi possessione temporis immemorialis, ut deciditur c. Episcopum 1. b. t. in 6. & notat Pirh. hic n. 95.

2. Quadragenaria Præscriptio requiritur non tantum, cum privatus quis, sed etiam cum Ecclesia contra Ecclesiam aliam uti vult præscriptione, uti habetur c. ad aures 6. & c. illud 3. b. t. Neque obstat, quòd ex communi regula privilegiatus non utatur privilegio suo contra pariter privilegiatum; negatur enim, quòd Ecclesia præscribens privilegiata sit contra Ecclesiam, contra quam præscribitur, ut ipsa minore tempore, quam privatus, contra Ecclesiam possit præscribere: quod patet ex fine privilegij hujus; nam in hoc respicitur favor ejusdem, ne damnum ferat, igitur non assistit præscribenti, ut lucrum referat, sed censetur in hoc Jure privatorum, & opus habebit quadragenaria Præscriptione contra Ecclesias non privilegiatas, contra privilegiatas autem sexagenaria, vel centenaria, juxta istarum privilegia. Dixi, Contra Ecclesiam; nam contra privatum non secus, ac alij privati, Ecclesia

Hhh

cura

cum Titulo præscribere potest decennio, vel vicennio, sine Titulo 30. annis. Hinc alio Jure ipsa utitur contra Laicum, & alio contra se? cui non obstat regula communis: *Quod quisque Juris in alium statuit, ut ipse eodem Jure utatur*; nam hoc solum intelligendum est, quando non habetur speciale indultum, sicut habent Ecclesiæ per Jura cit. n. 101. & seqq.

304 3. Proccedit quadragenaria Præscriptio in ijs tantum rebus, quæ sunt Ecclesiæ quoad verum, & propriè dictum dominium, pro quibus competit vindicatio. Secus, si sint illius tantum ratione quasi dominij, pro quibus Actio Publiciana conceditur; in his enim sufficit tempus ordinarium, ut notat Barbof. in c. 8. cit. n. 9. Idem dicendum, si res, de cujus Præscriptione agitur, non sit ipsius Ecclesiæ propria, sed Clericorum ejusdem; nam horum bona privata, ac patrimonialia, ut Laicorum bona, tempore ordinario præscribi possunt. Abb. in c. sanctorum 3. h. tit. num. 6. Molin. tr. 2. D. 72. n. 4. Pirh. hic n. 95. & novissimè Illustrissimus D. Petra Comment. tom. 2. fol. 420. n. 30. & ratio est, quia non Clericis, sed Ecclesijs, & locis pijs privilegium istud concessum est. Quod si res aliqua, vel Jus ad Laicum simul, & Ecclesiam spectet, distinguendum est, num res, vel jus illud divisibile sit, vel non. Si primum, breviori tempore perficietur Præscriptio adversus privatum, quam adversus Ecclesiam arg. l. un. C. si in communi. Si secundum, privatus propter communionem cum Ecclesia gaudebit eodem 40. annorum tempore arg. l. si communem 10. ff. quemad. servit. amit. Abb. in c. 4. b. tit. n. 19. Laym. in c. 8. eod. n. 2. Pirh. hic n. 96. Adeoque casu, quo Ecclesiæ, & Civi privato jus competit in alieno prædio pascendi pecora, agendi curus &c. & eo Jure 10. annis non utatur Civis, lapso hoc decennio per viam Præscriptionis excludi potest, Ecclesia verò non nisi post annos 40. suo jure privabitur propter omissionem; nam Jus privati à Jure Ecclesiæ dividi potest.

305 4. Præscriptione hujusmodi, ut quadragenaria requiratur, vel centenaria, debet directè, & principaliter præjudicari Ecclesiæ in bonis, & Juribus ejusdem. Hinc contra Usufructuarium fundi, quoad proprietatem ad Ecclesiam pertinentis, præscribi potest tempore ordinario, quia cum Usufructuarius vendere, vel donare, etiam invito domino directo, possit Usufructum ex tali fundo sibi competentem, per ejusmodi Præscriptionem non præjudicatur Ecclesiæ in dominio ejus directo, quod ipsi illæsum manet. Quoad Vasallum, & Emphyteutam, qui in bonis Ecclesiæ Feudum, vel Emphyteusin constitutam habet, distinguendum est; nam sciente Ecclesia, contra ipsum dominium utile præscribi potest 30. annorum tempore, sicut contra alium quemvis privatum; nescien-

te autem Ecclesia præscribi adversus Vasallum, vel Emphyteutam Romanæ Ecclesiæ non potest, nisi annis 100. adversus alterius inferioris non privilegatæ annis 40. Ratio disparitatis est; quia in secundo casu præscribitur contra Jus ipsius Ecclesiæ, quæ cogitur vi præscriptionis recipere novum Vasallum, vel Emphyteutam sibi fortè minus utilem, quam antiquus fuerit: nihil simile pugnat in primo casu; nam hoc ipso, quòd sciens à præscribente recipiat per 30. annos obsequia, & alia Jura dominij directi, nulla ei irrogatur injuria, si deinde præscribenti adjudicetur Feudum, vel Emphyteusis, & tollatur possessori pristino. Abb. in c. 13. h. tit. n. 13. & 14. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 12. n. 2. Barbof. in c. 8. n. 8. Pirh. n. 100.

5. Quod si, postquam quis per quinquennium e. g. rem immobilem privati cum Titulo coepit præscribere, ea res devenerit ad Ecclesiam inferiorem Romanâ, satis erit deinceps possidere illam cum bona fide per annos 20. ut adversus eam Ecclesiam Præscriptio finiatur; si verò ad Ecclesiam Romanam pertinere incipiat, 50. deinceps annorum possessione complebitur. Abb. in c. 4. b. t. n. 20. Sylvest. V. præscriptio 1. n. 6. dict. 6. Azor p. 3. l. 1. c. 22. q. 9. Molin. tr. 2. D. 72. n. 5. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. n. 339. Pirh. hic n. 96. Ratio est, quia pro tempore præterito utitur Ecclesia jure privati, à quo rem præscribendam ipsa accepit; pro tempore verò sequente utitur jure, ac privilegio suo: hinc cum dimidium temporis requisiti ad præscribendum contra privatum absentem sint quinque anni, satis erit, si ad præscribendum contra Ecclesiam, quæ Laico in re præscribenda successit, addatur dimidium temporis requisiti ad præscribendum contra Ecclesiam, sc. 20. anni, quando præscriptio fit adversus Ecclesiam Romanâ inferiorem, 50. si contra Romanam.

Quæritur 5. an privilegio hoc ampliori quadragenariæ, vel centenariæ Præscriptionis Ecclesiæ gaudeant etiam in bonis earum mobilibus? Affirmant Host. c. 1. de in integr. restit. Azor p. 3. l. 1. c. 22. q. 2. Consentunt ex parte Abb. in c. 4. de confirm. util. & inut. n. 12. Sylvest. V. præscriptio 1. n. 7. dict. 3. qui etsi de Ecclesijs inferioribus negent, id tamen affirmant de Romana Ecclesia: quorum sententiam valde probabilem dicit Less. l. 2. c. 6. n. 22. & Haun. tom. 1. tr. 5. n. 271. Fundantur 1. quia hæc sententia favorem Ecclesiæ continet; igitur negativa est præferenda. 2. quia c. illud 8. b. t. Pontifex statuit adversus Ecclesias minorem Præscriptionem, quam 40. annorum non currere, non distinguendo inter res mobiles, & immobiles; ubi autem Jura non distinguunt, neque nos debemus distinguere. 3. contra Fiscum non procedit Usucapio Ordinaria, ut dictum est n. 35. ergo nec contra Ecclesiam, quippe quæ non minori pri-

privilegio gaudet. *2. c. cum vobis 14. b. tit. generatim absque distinctione mobilium, & immobilium dicitur: Contra Ecclesiam Rom. non nisi 100. annorum præscriptio locum sibi veniat, ubi Gloss. V. centum, Hæc præscriptio, inquit, obtinet in rebus, & possessionibus, distinguens res à possessionibus, tanquam mobilia ab immobilibus. ergo saltem Romana Ecclesia in mobilibus præscriptione centenaria gaudet. 5. concordat Auth. quas actiones C. de SS. Eccl. ubi, cum Imperator statueret Usucapionem triennij, & quadriennij præscriptionem in suo robore durare, etiam respectu Ecclesiarum, & piorum locorum, subdit, Solâ Rom. Ecclesia gaudente 100. annorum spatio, vel privilegio.*

108 Nihilominus communior sententia est, quoad mobilia, nisi fortè sint res pretiosæ, Ecclesias, etiam Romanam, nihil peculiare habere; absolvitur igitur contra illas Præscriptio cum Titulo triennio, sine Titulo tricennio Ita Molin. *tr. 2. D. 68. n. 3. Sanch. l. 2. c. 23. n. 96. Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 13. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 11. n. 5. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. n. 271. Pirh. hic n. 90. König n. 15. Wiest. n. 83. & novissimè Illustrissimus Petra comment. tom. 2. fol. 425. num. 67. excipiens res mobiles pretiosas, quia immobilibus æquiparantur. Ratio responsionis est, quia Jure Civili ita generaliter statutum est, & Jure Canonico nusquam invenitur facta mutatio, ut adeo procedat Regula *c. intelleximus 1. de nov. oper. nunt.* videlicet, ubi SS. Canones nihil decernunt, respicienda esse Statuta Juris Civilis.*

109 Neque obstant rationes oppositæ in contrarium. *Ad 1.* favor Ecclesiæ concedendus est, qui fundamentum in Jure habet; in nostro autem casu, ut statim dicitur, nullum fundamentum Jura præbent. *Ad 2.* etsi Canones *c. illud cit.* & alibi passim indistinctè requirant 40. annos ad præscribendum contra Ecclesiam, id tamen movere non debet, quia intelligendum est de rebus immobilibus juxta tenorem Juris Civilis. *Ad 3.* de Fisco, quod adversus ipsum non procedat Præscriptio Ordinaria, Jura sic statuunt, ut *n. 35.* ostensum est. at quod etiam respectu mobilium Ecclesiæ comperat Quadragenaria Præscriptio, in Jure nullum est sufficiens fundamentum. *Ad 4.* textus ille *c. cum vobis cit.* intelligendus est de vera Præscriptione rerum immobilium, non verò mobilium: ratio explicationis est, quia, ut Pal. & Pirh. *l. cit.* notant, nomen Præscriptionis ibi ponitur, quod in Jure, & propriè solum convenit præscriptioni immobilium, cum mobi-

lium potius dicatur Usucapio. Certè si etiam mobilium Usucapio contra Rom. Ecclesiam completeretur 100. annis, adversus eandem vix unquam posset esse mobilium Usucapio, quippe cum rarò, vel nunquam res mobiles spatio centum annorum perdurent. *Ad 5.* verba illa *Auth. quas actiones cit.* censeri debent quasi per Parenthesim interjecta, ita ut exceptio Romanæ Ecclesiæ referatur non ad ista, sed ad priora, per quæ Ecclesijs, & alijs Religiosis locis conceditur Præscriptio quadragenaria, & *conf. cit. Auth.* sensus sit, quod ubi 40. annis præscribitur contra Ecclesiam Romanâ inferiorem; Romanæ concedatur tempus 100. annorum, excepta utrobique Usucapione triennij, & quadriennij præscriptione, quam *Auth. cit.* vult manere in suo robore. Fundamentum istius explicationis ex eo sumitur; quia verba illa *Solâ Romanâ cit. Auth.* deïumpta ex parte sunt ex *Novell. 9. Justiniani*, ubi solum in Præscriptione longissimi temporis, quale est spatium 30. annorum, Imperator concedit Ecclesijs 100. annos, quod tempus moderatur hæc *Auth.* & soli Romanæ Ecclesiæ 100. annos relinquit, in ijs videlicet rebus, in quibus Præscriptionem contra alias Ecclesias reducit ad 40. hæc autem res sunt tantum immobiles. Igitur etiam Ecclesia Romana solum in immobilibus gaudebit privilegio Præscriptionis 100. annorum.

Quæritur 6. utrum privilegio centenaria Præscriptionis, quo gaudet Ecclesia Romana, gaudeant etiam Ecclesiæ inferiores exemptæ, si non sint specialiter exemptæ? Affirmat Archidiaconus *in c. fin. h. tit. in 6.* Negant Bald. *in Auth. quas actiones cit.* & Guid. Pap. *decis. 36.* Tenenda est sententia media, quam etiam defendunt Abb. *in c. 13. h. tit. n. 12. Felin. ibid. n. 17. Cochier de Jurisd. Ord. in Exempt. p. 3. q. 12. à n. 4. Wiest. hic n. 90. §. 91.* & distinguendum, an agatur de tollendo ipso Jure exemptionis, an de alijs rebus, & Juribus Ecclesiarum exemptarum.

Si hoc posterius, contra eas perinde, ac contra non exemptas 40. annis Præscriptio finietur; *si prius,* necessaria erit Præscriptio 100. annorum. Ratio disparitatis est, quia in hoc casu fit præjudicium tantum Ecclesiæ Exemptæ, in illo Ecclesiæ etiam Romanæ, cujus interest multos habere Exemptos, & sibi immediatè subjectos. *Clem. Pastoralis 2. de sent. & re judic.*

Quo tempore Res Coronæ, Filci, Minorum, Civitatum, Feuda &c. præscribantur, dictum est *suprà à n. 35.*

§. VII.

De Tempore requisito ad Prescriptionem Rerum Incorporalium.

SUMMARIUM.

111. 112. Definitio Servitutis, & varietas.
 113. Tempus, quo comparatur Servitus mixta, & realis affirmativa.
 114. Et negativa.
 115. Tempus, quo eadem extinguuntur.
 116. 117. Quanto tempore extinguantur Actiones reales, & personales ex contractu, vel quasi?

118. 119. Exceptiones.
 120. Quanto tempore tollantur Actiones criminales, & obligationes ex delicto?
 121. Exceptiones.
 122. Notanda circa Prescriptionem earum.
 123. 124. 125. Quanto tempore prescribatur Censibus, & Obligationibus annuis?

QUÆRITUR I. quanto tempore acquirantur, vel amittantur Servitutes? Antequam respondeam, breviter notanda quidditas, & varietas Servitutis. Est ergo *Servitus in genere*, prout hic accipitur, jus, quod quis habet in re aliena, ut ipsi, ejusque usibus, & commodis directè, vel indirectè inserviat. Dividitur immediatè in Personalem, Realem, & Mixtam. *Personalis* est, quæ ab aliena persona, v. g. ab alieno mancipio debetur alteri personæ, ut si quis alieni mancipij usum habeat. *Realis* est, quæ à re (intelligitur autem præcipuè per *Rem prædium*) immediatè debetur alteri rei, & prædio: unde etiam hoc alterum *Prædium dominans*, prius verò *Serviens* appellatur. *Mixta* est, quæ à re aliena immediatè, debetur personæ alteri, quàm domino directò; nam hic in re sua servitutem habere non potest.

Servitus Realis tripliciter subdividitur; nam I. alia est *Affirmativa*, vi cuius dominus Prædij dominantis potest aliquid in prædio alieno facere, quin possit jure à domino prædij servientis impediri: quales servitutes sunt iter, actus, via per alienum prædium; alia est *Negativa*, vi cuius dominus prædij servientis tenetur aliquid in suo prædio omittere, ut est Servitus altius non tollendi, ne luminibus officiat.

II 2. Alia est *Continua*, alia *Quasi continua*, alia *Discontinua*. *Servitutes continue* sunt, quæ semel constitutæ semper durant absque alio factò, vel adjumento, veluti immisio tigni. *Quasi continua* illa appellatur, quæ post sui constitutionem, quamvis non semper producat suum effectum, semper tamen est apta producere, ut stillicidium, quod non indiget hominum operâ pro continuatione, dum pluit, sed cadit per seipsum. *Discontinua* dicitur, quæ quolibet actu factum hominis requirit, ut iter, actus, via, & reliqua, quæ debentur à re rei: in quibus animus hominis non retinet continuam quasi possessionem, sed per singulas vices intervenit nova animi applicatio ad operandum.

3. Denique aliæ Servitutes sunt *Urbanæ*, quæ Prædio Urbano, aliæ *Rusticæ*, quæ Rustico Prædio debentur. Porro *Urbanum Prædium* illud dicitur, quod principaliter

extructum est ad habitandum, aut etiam recreationis gratiâ; *Rusticum*, quod principaliter extructum est ad alios fines, & usus rusticos, uti sunt horrea, & stabula pro servandis frugibus, & pecoribus. His præmissis ad Quæstionem propositam

§. 1. *Jus Servitutis mere personalis* nullo tempore usucapi potest, ita ut liber homo fiat servus, prout dictum est *suprà n. 27.*

§. 2. *Servitus mixta*, uti est *Ulusfructus*, *Ufus*, & *hab.atio*, comparatur cum bona fide, & titulo 10. annis inter presentes, 20. inter absentes; sine titulo 30. vel 40. l. *fin. C. de Prescript. long. temp.* Azor p. 3. l. 1. c. 22. q. 10. Molin. tr. 2. de Jus. D. 70. n. 4. Less. l. 2. c. 6. n. 27. Laym. l. 3. tr. 1. c. 9. n. 4. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 315. Wiest. hic n. 118. cum alijs.

§. 3. *Servitus Realis affirmativa*, sive sit continua, vel quasi continua, ut tigni immittendi, oneris ferendi, aquæ ductus, suggrundij, stillicidij &c. sive discontinua, ut eundi per tutum prædium, agendi jumentum, ducendi currum &c. cum titulo, & bona fide præscribitur 10. annis, præsentem eo, contra quem agitur, viginti verò eo absente. Gomez var. tom. 2. c. 15. à n. 26. Molin. D. 70. cit. n. 5. Wiest. n. 119. hic. Quando præscribens Titulum præscribendi non habet, discrimen inter has Servitutes est faciendum; nam *Continua*, vel *Quasi continua* etiam sine titulo completur decennio inter presentes, vicennio inter absentes; quia tituli loco est scientia, & patientia domini, quæ permittit aliquem tali jure in præjudicium suum uti l. *si quas* 1. & l. *seq. C. de Servitut.* Azor l. cit. Less. n. 28. Laym. n. 4. *Sc. Excipitur*, nisi ex circumstantijs appareat, quòd alter ex mera gratiâ, aut liberalitate id patiatur fieri; nam, ut sæpe dictum est, per actus meræ facultatis nunquam inducitur possessio Juris, & conf. neque *Prescriptio*. In *Servitute Discontinua*, si titulus non interveniat, requiritur possessio temporis immemorialis cum bona fide, ut colligitur ex l. *servitutes* 14. ff. de *servit.* & notat Covar. l. 1. var. c. 17. n. 11. Laym. l. cit. n. 5. cum reliquis *suprà*. *Ratio disparitatis* inter utramque Servitutem est, quia

quia in Servitute Continua, cum ejusdem usus sit continuus, vel quasi continuus, facile ille adverti potest; non ita facile adverti à domino potest, quando Servitus est discontinua, cum ejusdem usus sit valde interruptus: ut proinde longiori tempore egeat is, contra quem constituitur Servitus discontinua, minori ille, contra quem constituitur Continua, vel quasi continua.

114 *§. 4.* Servitutes Reales negativæ eodem tempore præscribuntur, quo affirmativæ: solum hoc peculiare est, quod possessio Servitutis affirmativæ incipiat à die, quo quis illarum aliquâ v. g. per actualement tigni immisionem, commutationem per fundum, aquæ ductionem &c. uti coepit; contra negativæ possessio inchoatur ab eo primum die, quo servitutum præscribere volens positivè prohibet, vel impedit alterum, ne altius tollat, fenestram aperiat, vel aliud quidpiam moliat: nam si id moliens, prohibitioni acquiescat, ab eo tempore is qui prohibuit, constituitur in possessione Servitutis negativæ, & præscribere illam incipit. Azor c. 22. cit. q. 10. Molin. D. 70. n. 6. Less. n. 29. Laym. n. 6. Pirh. n. 120. Wiest. n. 120.

115 *§. 5.* Simili tempore, quo acquiruntur Servitutes reales, etiam extinguuntur per non usum, videlicet 10. annis inter præsentem, 20. inter absentes l. sicut 19. C. de Servitut. Ubi tamen duo sunt advertenda. Primum est, quod discrimen sit faciendum inter Servitutes Urbanas, & Rusticas; nam Rusticæ extinguuntur per non usum, etsi dominus prædij servientis nihil faciat, quo incipiat usucapere suam libertatem l. hæc autem 6. ff. de Servit. urb. præd. Urbanæ autem ut amittantur, necesse est, ut possessor loci debentis Servitutum aliquid bona fide faciat, quo incipiat usucapere suam libertatem e. g. ut in loco, quo tignus in domum alterius immitti poterat, obstruatur foramen paratum pro immittendo tigno. Alterum est, quod si jus servitutis tibi constitutum non habeat usum quotidianum, sed aquam e. g. ex alieno fundo ducere possis æstate tantum, vel quot mensibus, requiratur tempus duplicatum, videlicet 20. anni inter præsentem, ut tali Jure per non usum ejus viâ Præscriptionis spoliaris l. si sic 7. ff. quemadm. servit. amitt. l. fin. C. de Servit. Azor l. cit. q. 11. Laym. n. 7. Pirh. n. 122. Wiest. n. 121. Hoc tamen non debet extendi ultra Servitutes merè reales, neque si tempus duplicatum excederet spatium 40. annorum, ut monet Covar. l. 1. var. c. 17. n. 10. Ad didi, inter præsentem; nam an ad præscribendum inter absentes spatium 20. annorum duplicandum sit etiam ad spatium 40. annorum, non constat; quia de hoc nihil statuerunt Leges: probabilior tamen videtur negativa sententia; quia in textibus supra cit. solum de Præscriptione inter præsentem ser-

mo est, ac proinde decisio l. hæc autem cit. quoad absentes incorrecta manet. Gloss. in l. fin. V. desidia C. de servit. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 19. n. 9. Pirh. hic n. 122.

Hæc autem omnia, quæ hic de tempore præscribendi servitutes dicta sunt, intelligi debent casu, quo Præscriptio contra privatum fit; nam Ecclesiæ, & loca Religiosa, sicut in Præscriptione immobilium, ita & Servitutum, tempore Quadragenario gaudent, Romana verò centenario, cujus ratio est, quia Servitutes, & Jura, cum perpetua sunt, immobilibus accensentur.

Quæritur 2. quanto tempore præscribantur Actiones, & Obligationes? Anrequam respondeam, adverto multum referre, an quis præscribat obligationem, & jus aliquid exigendi ab alio, vel an præscribat jus immunitatis ab actione, aut exactio- ne alterius. Primum præscribitur, quando obligatio e. g. census, pensio &c. statuto tempore exacta fuit ab alio, & ab hoc sine contradictione reddita. Ut secundum præscriptionem acquiri possit, non sufficit non fuisse exactam obligationem, sed opus est, ut is, qui immunitatem ab exactioe alterius præscribere vult, se neget alteri obligatum esse, vel reipsa, aut facto ita se gerat, ac si obligatus non sit; nam si agnoscat se obligatum esse, vel communiter habeatur pro obligato, nihil eundem juvabit exactioem non factam esse; quia locum habebit Regula, quod in actibus meræ facultatis non procedat præscriptio, ut dictum est n. 27. §. 7. Hinc sequitur, quod Vasallus, aut Subditus nunquam præscribat contra dominum jus servitorum, v. g. Angariorum, nisi interpellatus negaverit se obligatum esse, aut facto ipso pro non obligato se gerat, vel publicè habeatur pro tali: & ratio est, quia cum in arbitrio, seu mera voluntate Principis sit, utrum servitia illa exigere velit, vel non, non ideo præcisè, quia temporis diuturnitate non exiguntur, alter constituitur in possessione immunitatis. Excipe, nisi is, cui jus exigendi ejusmodi servitia competit, censerit meritò possit, quod renuntiaverit juri suo: præsumi autem hoc potest varijs casibus, & præcipuè dum, quando ab alijs fit, à quibusdam non fit exactio; tum enim præsumptio esse solet pro exemptione, ut bene advertit Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 8. His prænotatis,

Distinguendum est inter Actiones reales, & personales. Actionibus realibus cum titulo præscribitur annis 10. inter præsentem, 20. inter absentes l. un. C. de Usucap. transform. & prin. Inst. de Usucap. In actionibus & Obligationibus personalibus distinguendum est inter Actiones, & obligationes personales ex contractu, vel quasi contractu ortis, & inter eas, quæ oriuntur ex delicto. Actionibus personalibus, & obligationibus Civilibus ex

Hhh;

600-

contractu vel quasi, v.g. mutui, commodati, tutelæ provenientibus adversus creditores præscribitur regulariter 30. annis, ut habetur *l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann. & l. super. 1. §. ad hæc 1. C. de annal. except.* ex quibus Legibus constat, per illas correctum fuisse Jus Digestorum antiquius, quo Jure Actiones Personales ex contractibus, furtis & similibus ortæ perpetuæ erant, nec ullo actoris silentio amittebantur, atque ideo non poterat contra illas opponi Præscriptio, ut refertur *princ. Inst. de perpet. & temporal. action. & constat ex varijs Legibus.*

Excipitur 1. Actio Hypothecaria: ubi distinguendum est, an res Hypothecata possideatur ab ipso debitore, aut hæredibus ejus, qui eam Hypotheca subjecit; an à creditore secundo, cui res postea fuit oppignorata; an ab aliquo tertio, qui nec debitor, nec creditor, nec alterutrius eorundem hæres est. *Si primum*, contra creditorem à debitore, vel ejus hæredibus non præscribitur, nisi 40. annis, currentibus à die, quo debitum erat solvendum *l. cum notissimi 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Si secundum*, creditor secundus adversus debitorem adhuc viventem præscribet iterum non nisi 40. annis; hoc autem mortuo, annis 30. at si velit computare tempus, quo vixit debitor, rursus requirentur anni 40. ut habetur *l. cit. §. sed cum 2. Less. l. 2. c. 6. n. 37. Zæf. hic n. 4. Pirh. n. 123. König n. 46.* *Si tertium*, si quidem iste in bona fide sit, eò, quòd res Hypothecata eidem sit donata, vendita &c. ignoranti, quòd Hypothecata sit, præscribitur ab ipso tempore ordinario, h.e. triennio, si sit res mobilis, decennio inter presentes, & vicennio inter absentes, si immobilis, & titulum præscribens habeat, sine titulo autem 30. annorum spatio *l. cit. §. quamobrem 1.*

118 *Excipiuntur 2.* Legata, & Fideicommissa: quæ adversus Legatarium, & Fideicommissarium non ordinario 10. aut 20. sed extraordinario 30. annorum tempore præscribuntur *l. si duobus 3. §. sin autem 3. §. sin autem avaritiæ C. commun. de Legat. Covar. p. 3. c. 3. n. 6. Less. n. 39. Wiest. n. 124.*

Excipitur 3. Actio Redhibitoria ad recuperandum pretium, quando error dedit causam contractui; hæc enim contra emptorem præscribitur sex mensibus, computandis à die, quo emptor rescivit vitium. Similiter Actio in quanti minoris: quæ est ad recuperandam partem pretij, quam nolisset dare emptor, si vitium ei perspectum fuisset, excluditur annali Præscriptione *l. Labeo 1. & seqq. ff. de Edilit. Edict.* Ubi tamen notandum, hoc solum procedere in foro externo in ordine ad actionem intentandam venditori; nam in foro conscientia non liberatur venditor à compensando damno, nisi bona fide egerit, cum qua si egerit, usurpare pretium potest triennio,

Excipiuntur 4. actiones competentes Ecclesiæ; has enim Justinianus *Auib. quas actiones C. de SS. Eccl. constituit*, ut non aliter tollerentur, quam quadragenaria Præscriptione, si sit Ecclesia inferior Romana; si autem Romana, spatio 100. annorum. Extenditur ad actiones pertinentes ad Hospitalia, & alia loca Sacra, ad annuos reditus, aliàsque præstationes, Ecclesijs, & locis pijs competentes &c. ut notat Gonz. *in c. 4. b. tit. n. 5.* Et procedit hoc etiam casu, quo Ecclesia succedit privato, contra quem coepita fuit Præscriptio, ut supra notavi *n. 106.*

Excipiuntur 5. querela inofficiosi testamenti; nam hæc quinquennio consumitur *l. siquis 34. ff. de inoffic. testam.* *6.* Actio, quam Resp. habet adversus quæstorem, & administratorem, postquam computus sunt subscripti, seu expuncti; nam hæc ab ipsis quæstoribus, & administratoribus excluditur annis 20. ab eorum hæredibus annis 10. *l. in omnibus 13. §. Reip. 1. ff. de divers. tempor. action.* *7.* Adscriptitia, seu originaria conditio, cujus æterna jubetur authoritas esse, ita, ut Præscriptio tricennalis eidem opponi nequeat *l. præscriptionem 5. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. siquis 55. C. de Decurion. l. cum satis 28. C. de agricol. & censu.*

Actiones criminales, & obligationes ex 120 delicto ordinariè 20. annorum spatio per Præscriptionem tolluntur l. querelam 12. C. ad Leg. Cornel. de Fals. Proceditque hoc non tantum quoad accusationem, sed etiam quoad inquisitionem, ita, ut lapsò tempore per Jus statuto, delinquens non solum non accusari, sed ne Judex quidem contra illum inquirere regulariter possit, ut notant Clat. *§. fin. q. 51. n. 2. Farin. prax. crim. q. 10. n. 3. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 321. Wiest. hic n. 128.* & alij ab his *citt.* Neque obest, etsi delictum notorium, imò & confessatum sit, ut tradit idem Farin. Adduntque alij hoc procedere etiam in confessione tacita, quæ fit per contumaciam, modò constet, quòd delictum jam sit præscriptum. Estque adeo verum, ut adversus hanc præscriptionem nec minoribus, nec etiam Fisco detur restitutio in integrum, Farin. *q. 18. n. 1. Haun. n. 322.* Tempus hujus exceptionis incipit currere à die commissi criminis; neque opus est notitiam illius perceptam fuisse vel ab actore, vel à Judice; quia Præscriptiones plerumque etiam ignorantibus currunt.

Dixi ordinariè; nam 1. excipitur Actio 121 injuriarum, quæ finitur tempore annali l. si non convitij 5. C. de injur. Idem dicendum regulariter de omnibus Actionibus Prætorijs poenalibus *princ. Inst. de perpet. & tempor. action. l. in honorarijs 35. ff. de O. & A. Gonz. in c. 4. b. t. n. 5. Less. l. 2. c. 6. n. 36. König hic n. 46.* Neque, ut poenæ præscribantur, requiritur bona fides, aut ignorantia poenæ tali delicto decretæ; quia poena non debe-

debetur in foro conscientia ante sententiam. *Zoef. hic n. 18.* cum cæteris.

2. Actio doli, quæ durat biennio *l. fin. C. de dol. mal. except. 3.* Crimen peculatus; item actio, vel accusatio adulterij, stupri, incestus, lenocinij, quæ, uti & cætera crimina obnoxia pœnæ Legis Juliae de adulterijs extinguuntur quinquennio, uti de peculatu statutum est *l. peculatus 7. ff. ad Leg. Jul. peculat. de cæteris l. mariti 29. §. hoc quinquennium 6. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Intellige; quoad pœnas Legales, non autem quoad spiritaliales; unde etiam transacto quinquennio, à conjugè innocente contra adulterum peti divortium potest. 4. Alia quadam crimina, quæ ob enormitatem nullo unquam tempore præscribuntur: tale est crimen parricidij *l. fin. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* Stuprum per vim illatum mari, vel feminae *l. mariti cit. §. fin. Apostatae l. si quis 2. Et l. Apostatarum 4. C. de Apostat.* Suppositi partus *l. qui falsam 19. §. accusatio 1. ff. ad Leg. Corn. de fals. Hæretis, Adulterij, falsæ monetae, Simoniae, Abortus, concussio, læsa Majestatis. Farin. q. 10. cit. n. 29.* qui hoc extendit ad omnia crimina excepta, & enarratis similia.

122 Circa hanc tamen Actionum criminalium præscriptionem duo sunt notanda. *Primum* est, quod in adulterio, & cæteris carnalibus, aliisque delictis, tractum successivum habentibus, aut iteratis, præscriptio currere non incipiat, nisi à die committi ultimi delicti. *Gloss. in l. mariti cit. V. commissi in fin. Clar. §. fin. q. 51. n. 3. Farin. q. 10. cit. n. 16. Guazzin. defens. error. 2. c. 2. n. 35. Wiest. hic n. 130.* *Alterum*, quod, cum plura, præsertim inter se connexionem habentia, delicta conjuncta sunt, magis attendatur, quod præscriptioni minus obnoxium est: & magis perpetuum trahat ad se id, quod minus perpetuum est. *Decian. tr. crim. l. 3. c. 37. n. 22. Guazzin. c. 2. cit. n. 87. Wiest. l. cit.*

123 Quaritur 3. an, & quo tempore præscribatur Censibus, & Obligationibus annuis? *Mynsing. cent. 3. obs. 13. Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. n. 9. Pax Jordan. l. 14. tit. 24. n. 421.* distinguunt inter Pensiones futuras, & inter eas, quæ lapsæ jam sunt, & non solutæ. Ut *Futuris* dicatur præscriptum, & sic in universum acquisita libertas à solvendis pensionibus, ajunt requiri, & sufficere, ut per 30. si privato, vel 40. annos, si Ecclesiæ solvi debent, *Colonus* vel *Emphyteuta* bona fide, accedente præsertim communi persuasione, pro immuni se gesserit; quia ab eo tempore, quo pro immuni se gessit, constitutus est in possessione immunitatis, & conf. in statu eandem ufucapiendi, ita, ut si tempus Jure requisitum decurrerit, futuræ pensiones ab eo amplius peti nequeant. *Futurae*, inquam; nam *Præteritis* non hoc ipso præscriptum volunt, sed contendunt, ut etiam his præscrip-

tum dici possit, tot requiri præscriptiones, quot sunt pensiones lapsæ, & non solutæ. Rationem dant, quia cum singulis annis solvenda sit pensio, ex non solutione ejusdem tot nascuntur actiones, quot non solutæ sunt pensiones: quæ actiones ut cessent, necesse est eas tolli, per singulas præscriptiones; conf. lapsis 30. vel 40. annis *Colonus*, vel *Emphyteuta* solum liberabitur à pensione, quæ illo tempore præstanda fuit, cæterarum verò, quæ postea lapsæ sunt, obligatio manet, usque dum simile tempus etiam pro ipsis fluxerit. Innuere hoc etiam videtur *Imp. Justinianus*, dum *l. cum notissimi 7. §. in his 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Quæ dationem*, inquit, per singulos annos, vel menses, aut aliquod singulare tempus continent, tempora - - - præscriptionum, non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est.

Sed dicendum, hujusmodi annuis debitis, & obligationibus contra privatum 30. contra Ecclesias, & Monasteria 40. annorum cessatione præscribi, sine ulla inter census, & præstationes præteritas, & futuras differentia. Ita *Durand. Specul. tit. de Emphyteus. §. 1. n. 52. Menhaca l. 2. Contr. Illust. c. 55.* & alij plures, quos sequuntur ex Universitate Nostra Clarissimi Doctores, *Nicolaus Everhardus Senior Consil. 187. in fine. Arnold. Rath. de Usucap. c. 4. n. 8. Haun. tom. 1. tr. 15. num. 358. Magnif. D. Christoph. de Chlingenperg. Inst. de Usucap. q. 24. & novissimè meus in hac Cathedra Antecessor, & Professor P. Jacob. Wiestner p. m. hic n. 126. Et 127. Sumitur 1. ex l. sicut, 3. & l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann. ubi generali dispositione statuitur, tanto tempore extingui omnem actionem. 2. ex l. eos 26. C. de Usur. ubi deciditur Usurarum singulis annis præstandarum debitum 30. annorum lapsu ita extingui, ut sicut sortem ita etiam Usuras tam præteritas, quam futuras exigendi actio, & solvendi obligatio omnino cesset. 3. ex c. de quarta 4. h. t. ubi Clericus adversus Episcopum, petentem sibi solvi decimationes, & oblationes annuatim debitas, quadragenaria Præscriptione se fuerit, & sine ullo discrimine inter præteritas, & futuras liberatur. 4. ex c. ad aures 6. eod. ubi asseritur, quadragenaria cessatione à solutione Decimarum omnem prorsus actionem (adeoque tam præteritas, quam futuras præstationes respicientem) excludi. 5. ex ratione; quia quibus modis quodque acquiritur, iisdem etiam amittitur §. fin. Inst. quib. mod. toll. obligat. & l. nihil tam naturale ff. de R. 7. Jus autem annuæ præstationis 30. annorum spatio acquiritur, ut communis DD. habet, ergo &c.*

Neque obstat, quod præstationes, & 125 anni, quibus illæ debentur, multi, distinctæque sint; quia cum singulæ non debeantur, nisi

nisi dependenter à jure eas petendi, & obligatione easdem exhibendi, sicut hoc unum, idemque est, ita mirum esse non debet, quòd una, eademque præscriptione tollatur. Putant quidem Adversarij, præscribentem quoad præteritas singulas non esse in possessione eodem tempore, quòd in possessione immunitatis à solutione earum esse nequeat, antequam lapsæ sint, ut proinde sicut singulis annis labuntur, ita singularum immunitas singulis annis incipiat possideri. Nam dicendum, sufficienter possideri libertatem quoad præstationes singulas, quòd incipiat possideri libertas à jure eas exigendi, & obligatione illas præstandi: hoc autem fit, quando præscribens bona fide desijt easdem solvere. ergo &c. Ad §. in his cit. dico, ibi

Imperatorem rectè statuisse, præscriptionis tempus non numerandum ab initio obligationis constitutæ, & observatæ à debitore (quia absurdum omnino foret, creditorem, qui aliquot annis juxta conventionis tenorem pensiones percepit, elapsis 30. annis ab initio constitutæ pensionis computandis excludi) sed ab initio cessationis, non quasi totidem sint præscriptiones, quot anni, sed una præscriptio, quæ ab eo anno, quo solutio facta non est, initium ducat. Vide plura apud laudatum Arnold. Rath. l. cit.

Addunt hic aliqui, quo tempore præscribantur alia Jura eligendi, præsentandi, visitandi &c. Sed hæc melius suis quæque locis servantur.

§. VIII.

De Effectibus Præscriptionis, & ejusdem Impedimenti.

SUMMARIUM.

126. Effectus Præscriptionis generalis.
 127. Effectus specialis, & Prærogativæ, Præscriptionis immemorialis.
 128. Quando dicatur Præscriptio non procedere?
 129. Notanda.
 130. Quando dicatur dormire?
 131. 132. 133. Impedimenta, quæ dormire eandem faciunt.
 134. Quando dicatur interrumpi?

135. Discrimen inter Naturalem, & Civilem ejus interruptionem.
 136. Citatione interrumpitur Præscriptio 30. annorum.
 137. Litis contestatione Præscriptio longi temporis.
 138. 139. 140. Non tamen triennalis.
 141. Sed per solam sententiam.
 142. 143. Quibus concedatur restitutio in integrum adversus Præscriptionem?

126. **Q**uæritur 1. quis sit Effectus Præscriptionis? R. alius est communis omni Præscriptioni, alius proprius Præscriptioni immemoriali. Communis, & generalis Præscriptionis effectus est, quòd vel jus alienum perimat, vel dominium in præscribentem transferat, eumque ab onere restituendi liberet, etiam in foro conscientiarum, esto, postea resciat obligationem suam, vel rem fuisse alterius, prout dictum est n. 5.

127. Effectus, & Prærogativæ Præscriptionis immemorialis sunt quinque præcipuè.
 1. Facit, ut quòd aliàs impræscribibile est, præscribi possit, modò præscribens sit capax illud possidendi. Sic ea, quæ Jure gentium omnibus communia sunt, quæque propterea regulariter præscribi nequeunt, spatio temporis immemorialis acquiruntur, & præscribuntur, ut rectè advertit König hic n. 30. 2. hæc Præscriptio non censetur comprehensa Statuto, aut Lege, quamvis terminis generalibus prohibente fieri Præscriptionem; quia specialem favorem continet, ut adeo opus sit speciali derogatione, quæ tamen fieri non solet, si capacitas sit in præscribente, & res sit præscribilis. Laym. l. 3. Theol. tr. 1. c. 8. num. 15. 3. in subjecto capace possessionis habet vim privilegij à Principe concessi c. super quibusdam 20. §.

præterea, & ibi Gloss. v. non extat de v. s. König n. 51. Hinc quòd acquisibile est per privilegium, etiam acquisibile dicitur per hanc Præscriptionem, 4. non tenetur allegans Præscriptionem immemorialem allegare Titulum; si tamen allegetur, etsi probari non possit nihil plerumque obest; nam ex adjuncta possessione diuturna præsumptionem, & corroboracionem accipit. Laym. l. cit. 5. Præscriptio hæc nullum definitum annorum numerum exigit, sed sufficit, si initij illius non extet memoria: quòd probari debet per testes testificantes, quòd semper ita viderint, & audierint sic fuisse, & nunquam contrarium: item quòd communis sit, & fuerit semper opinio, & fama de hoc facto, & quòd nec initij, nec contrarij extet memoria. Laym. l. cit. cum alijs.

Porro ne effectum à Jure intentum fortiatur Præscriptio faciunt Impedimenta, quæ triplicis maximè generis sunt; nam aliqua faciunt, ne incipat, seu currat Præscriptio; alia, ut cœpta dormiat, vel omnino interrumpatur; quædam, ut completa rescindatur.

Quæritur 2. quando dicatur non procedere, vel non currere Præscriptio? R. non procedere Præscriptio tum dicitur, quando ob defectum alicujus conditionis requisita aut non incipit, aut non potest incipere. Covar.

Covâr. Reg. possessor p. 2. §. 12. n. 1. Molin. tr. 2. de just. D. 78. n. 1. §. 2. Less. l. 2. c. 6. n. 49. Pirh. hic n. 130. König n. 43. Hoc autem fit potissimum ob quatuor causas. 1. si desit possessio civilis. 2. si Titulus, ubi requiritur. 3. si bona fides. 4. si res alienari non possit, Lege resiliante, ut dictum est de fundo dotali, de bonis adventitijs filii, de Legato, Fideicommissio, Majoratu.

129 Ubi notandum, ex his rebus aliqua esse, in quibus licet non possit incipere Præscriptio, potest tamen continuari jam coeptra. Exemplum est in bonis adventitijs filij, quorum alienatio facta à patre non valet, nec præbet titulum usucipiendi contra filium, donec is patriam potestatem egrediarur: si tamen Præscriptio talium bonorum jam antea incepisset, antequam pervenirent ad filium, continuari contra eundem jam coeptra potest. Idem est de fundo dotali, si contra eundem, antequam dotalis fieret, incepit Præscriptio l. si fundum 16. ff. de fund. dotal. Molin. D. 78. cit. n. 4. Less. n. 48. Pirh. hic n. 130. Ratio est, quia minus requiritur ad continuandam, quam inchoandam Præscriptionem; sicut minus requiritur ad conservationem rei, quam ad ejusdem generationem.

130 Queritur 3. quando dicatur dormire Præscriptio? R. quando legitime inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, & quiescit, ita tamen, ut remoto impedimento, denuo procedat; possitque tempus subsequens continuari cum precedente, deducto solum tempore intermedio inutili. Debet autem impedimentum hoc, ut ob id dici possit dormire Præscriptio, esse impedimentum notorium, generale, & tale, ut impediat viam non habeat illud removens; nam si notorium non sit, Præscriptio pergit currere, sed contra præscriptionem pristino domino datur restitutio in integrum, si impedimentum, quo agere impediatur, probaverit. Similiter restitutio in integrum conceditur illi, qui spectato jure communi, agere possit, sed ob causam extrinsecam e. g. necessariæ absentia Reip. causâ ab agendo impeditur. At si impeditus ipsemet pro libitu removere impedimentum possit, nè quidem beneficio restitutionis gaudet; quia negligentia ejus favorem habere non debet, & qui per se tollere impedimentum valet, impeditus non censetur esse, saltem quoad Juris effectum l. sed §. si 26. §. ait Prætor 4. ff. ex quib. caus. major.

131 Communiter impedimenta, quæ dormire faciunt Præscriptionem, tria hæc assignantur. 1. tempore hostilitatis, & sævientiis belli can. prima 13. caus. 16. q. 2. c. transmissa 10. h. tit. Ratio est, quia tunc ob hostium incursum Jus non dicitur, cum homines aliò diffugiant. Idem pari ratione dicendum est, si tempore grassantis pestis Jus non

dicatur, ut cum communi advertunt Molin. tr. 2. D. 78. n. 9. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 16. n. 1. Haun. tom. 1. tr. 5. n. 351. nam quamvis id Jure expressum non habeatur, quia tamen non omnes casus Legibus comprehendere possunt, ideo cum unus pro facti ratione, ac specte decisus fuit, ea decisio ad alios similes casus ob rationis identitatem extendi debet l. non possunt 12. ff. de LL.

2. Quando Ecclesia caret Rectore; 132 tunc enim Præscriptio non currit contra Ecclesiam c. de quarta 4. h. t. c. novit. 1. & c. fin. ne sed. vac. Proceditque hoc 1. etsi non desint alij Prælati Superiores, & mediati; sufficit enim, quod proprium, & immediatum Pastorem non habeat, qualis est Episcopus respectu Ecclesiæ Cathedralis; Abbas respectu Abbatis; nam huic specialiter incumbit agere pro rebus, & Juribus suæ Ecclesiæ. Barboz. in c. 1. h. t. n. 4. Procedit 2. etsi proprium Rectorem habeat, sed talem, cujus factio Ecclesiæ læsa est, quod res ejusdem male, alienaverit; nam toto tempore, quo ipse vivit, Præscriptio adversus Ecclesiam suspenditur, cum male acta non credatur retractaturus can. si Sacerdotes 10. caus. 16. q. 2. Procedit 3. si is, quem habet, agere non potest, quia excommunicatus, suspensus, captivus, vel quovis alio modo impeditus est ab agendo. Molin. D. 78. cit. n. 7. Haun. n. 350. Pirh. n. 131. Excipit, nisi culpabiliter differat petere absolutionem ab Excommunicatione; tunc enim videtur procedere Præscriptio, cum, ut paulò antea dixi, impeditus censeri debeat, qui tollere impedimentum potest; & alioquin Excommunicatus ex propria iniquitate commodum referret.

3. Dormit Præscriptio etiam adversus pupillum, durante pupillari ejus aetate; adversus filium quoad bona adventitia, durante patria potestate; adversus uxorem quoad fundum; & bona dotalia, vivente marito &c. ut de pupillis statuitur l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann. de filijs Auth. nisi tricennale C. de bon. matern. & universim probat ratio; quia non valenti agere tempus non currit l. super 1. C. de annal. except. Neque obstat, quod bona adventitia filij administrat pater; dotalia uxoris maritus, hisque incumbat pro illis agere, & sic cum defensore non careant, videatur contra ipsa currere debere præscriptio, sicut currit contra minorem puberem, & Ecclesiam, etsi Curator, vel Administrator eorum negligat pro Clientis, vel Ecclesiæ bonis agere. Nam disparitas est; quia pater bona adventitia filij, & maritus fundum dotalium, non ut legitimus Administrator filijs, & uxori datus, sed proprio Jure Ususfructus penes se retinet, & cons. quæ agit, adscribi filio, vel uxori non possunt, sicut contra adscribuntur acta ab Administratore illi; pro quo administrat.

334. Quæritur 4. quando dicatur *interrumpi* Præscriptio? *Interrumpi* tunc dicitur, quando inchoata ita cessat, ut si cessante impedimento iterum reviviscat, non continetur cum tempore priorè, sed de novo debeat inchoari, & percurrere rotum tempus ad præscribendum requisitum, cum totum tempus præcedens per interruptionem sit extinctum, prout sumitur ex *c. illud s. b. t.* Interruptio autem hæc dupliciter fieri potest, naturaliter, & civiliter. *Naturaliter* interrumpitur Præscriptio, si post eam ritè inchoatam aliqua ex conditionibus requisitis deficiat, fortè quòd mala fides superveniat, Titulus resolvatur, possessio amittatur. *Civiliter* interrumpitur, quando Jus possidendi per aliquem actum Juridicum in dubium revocatur, quod fit per citationem, litis contestationem, & maximè per sententiam.

335. Discrimen inter hos duos Præscriptionem interrumpendi modos est notabile, idque ex duplici præcipuè capite. *Primum* est, si præscriptio interrupta sit naturaliter, cessante impedimento, reviviscit non secus, acsi nulla interruptio contigisset, ut adeo tempore ordinario, à cessatione impedimenti numerando, compleri possit; at si interruptio sit civiliter per contestationem litis, exigit 40. annos à puncto interruptionis, ut possit perfici. Proceeditque hoc non tantum in actionibus personalibus, sed realibus, tamen si aliàs hæc actiones brevissimo spatio temporis præscribendæ essent *l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Molin. *tr. 2. D. 78. n. 22.* Pal. *tr. 31. D. un. p. 22. §. 16. n. 8.* Pirh. *hic num. 135.* Alterum est, si Præscriptio interrupta sit naturaliter, interrupta censeferi debet quoad omnes; quia deficiente possessione, deficit unum ex principalibus requisitis ad Præscriptionem: At si civiliter solum interrumpatur per contestationem litis, vel citationem, solum interrupta censebitur respectu illius, cum quo nulla est actio, cui proinde ista interruptio nec prodest, nec nocet: ac proinde, si Titius mihi rem aliquam bona fide possidenti litem moveat de re illa, purans eam esse suam, cum sit Sempronij, præscriptio mihi solum interrumpitur respectu Titij, non verò respectu Sempronij, & ideo licet præscriptionem, durante lite, non possim complere respectu Titij, possum tamen illam complere respectu Sempronij, ita, ut verè, etiam pendente lite mea cum Titio, Sempronius amittat dominium, nec interruptione à Titio facta deinceps tueri se possit *l. res inter 2. C. quib. res judicat. non noc.* Gonzal. *in c. s. b. t. n. 7.* Haun. *tr. 5. cit. num. 335.* Imò nec contra eum, cum quo contestata lis est, absolute Præscriptio interrumpitur, sed solum sub conditione, si possessor in lite succubuerit, ut rectè Molin. *D. 78. cit. n. 14.* Less. *c. 6. n. 49.* Pal. *§. 16. n. 4.* Haun. *n. 340.* Pirh.

n. 134. Hinc si possessor postea absolvatur, Præscriptio eodem modo censenda est perrexisse, acsi per litem contestatam nunquam fuisset interrupta: & ratio est, quia effectus interruptionis pendet à sententia Judicis deinceps pronuntianda, tanquam à conditione, & hoc ideo, ne cuius facile sit litem etiam calumniandi animo movendo Præscriptionem interrumpere.

Quæritur 5. qualis Præscriptio per hujusmodi actus Judiciales civiliter interrumpatur? *1. Citatio*, ut *Tit. 3. n. 29. in fin.* dictum est, interrumpit Præscriptionem 30. annorum, non verò longi temporis. *Excipitur* Præscriptio, quæ fit à debitore confcio, quòd v. g. servitutem, vel aliquid aliud debeat alteri, contra quem præscribit ex eo solum, quia non exigit debitum; nam hæc Præscriptio, etiam dum longi est temporis, per solum Citationem interrumpitur: & ratio est, quia per talem citationem virtualiter exigitur debitum, prout habetur *l. cum notissimi 7. princ. & §. imò §. illud 5. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Molin. *tr. 2. D. 78. n. 15.* Pal. *p. 22. §. 16. n. 5.* Haun. *tr. 5. n. 339.* Pirh. *hic n. 134.* Wiest. *n. 158.* Imò hæc Præscriptio interrumpitur etiam per traditionem pignoris, vel per exhibitionem novæ exactionis, quæ à debitore creditori fiat *§. imò cit. & notant Molin. Pal. Pirh. l. cit.* quia est nova debiti confessio, & obligatio.

2. *Litis contestatio* interrumpit Præscriptionem etiam longi temporis, videlicet 10. vel 20. annorum, ut dictum est, *Tit. 5. n. 8.* Ad quem effectum requirunt aliqui, ut Actor litem contestetur animo illam prosequendi, & non tantum animo interrumpendi Præscriptionem: alij verò negant. Rectius distinguitur cum Molin. *D. 78. cit. n. 14.* Pal. *§. 16. n. 4.* Haun. *n. 346.* Pirh. *n. 134. cit.* nam si ex circumstantijs constat, aut vehemens est præsumptio juxta arbitrium Judicis, litem dolo motam ab actore esse, & contestatam animo solum interrumpendi Præscriptionem, eamque prolongandi, cum fraus sua nemini prodesse debeat, neutiquam censebitur interrupta, vel prolongata, ut colligitur ex *l. fin. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* at si doli præsumptio nulla adsit adversus cedentem lite post contestationem illius, interrupta censebitur, ita, ut actio ad 40. annos perpetuetur *l. fin. cit. ibi.* *Eam tamen in 40. annorum §. c.*

Dubium est, an litis contestatio interrumpat etiam Præscriptionem triennem? Affirmativa videtur evinci *1. ex l. ut perfectius 2. C. de annal. except.* ubi dicitur triennem præscriptionem interrumpi etiam per denuntiationem factam Præfidi, si possessor præscribens propter absentiam, potentiam, vel infantiam conveniri non potest, ergo multo magis interrumpetur per contestationem litis. *2. ex l. nemo 10. C. de acquir. §. retin. possess.* ubi generaliter, & indistinctè decernitur

legitimam possessionem cessare, ubi litis contestatio intervenit. 3. ex l. sed si 25. §. si ante 7. ff. de heredit. petit. ubi dicitur post litem contestatam omnes incipere mala fidei possessores esse; ubi autem bona fides definit, præscriptio interruptitur, ergo &c.

239 Hæc sententia est valde probabilis, & ut König luc n. 56. existimat, communior inter DD. Negativa tamen non est minus probabilis, eamque tenet Abb. in c. 8. h. tit. n. 11. Covar. Reg. possessor p. 2. §. 12. n. 4. concl. 1. Molin. D. 78. n. 12. Pirh. hic n. 134. Wiest. n. 156. & alij ab his cit. Colligitur ex l. pro emptore 2. §. fin. ff. pro emptor. l. si post acceptum 18. ff. de R. V. l. Julianus 9. §. proinde 8. ff. ad exhibendum. Ratio, & disparitas inter Præscriptionem triennalem, & ceteras est; quia Præscriptio triennalis potissimum inducta est in favorem præscribentis, Præscriptio autem longissimi temporis maxime contra negligentiam, & in odium debitum non exigentis, inter quas medio quasi modo se habet Præscriptio longi temporis, dum partim inducta est in favorem præscribentis, partim in odium negligentis debitum petere: hinc convenit, ut Præscriptio longissimi temporis interruptatur sola citatione, longi temporis litis contestatione, triennalis solum per sententiam. Quare qui triennium lite pendente complet, verè complet præscriptionem, & facit rem, quam triennio possedit, suam, sed revocabiliter; nam si post lapsum triennium adversus possessorem sententia lata sit, res possessa restitui debet ei, pro quo judicatum est, non habita ratione usucapionis.

240 Ad textus oppositos congruè responderi potest. Ad 1. dici potest, eo textu tantam significari per ejusmodi denuntiationem infirmari Præscriptionem, ita, ut per sententiam condemnatoriam subsecutam adversus possessorem non amplius teneat. Ad 2. id intelligendum est, non quasi post litis contestationem possessor re ipsa amitteret possessionem; si enim hoc esset, tunc neque contra tertium curreret Præscriptio, nec secutâ sententiâ absolutoriâ, tempus litis motæ computaretur, ut fieri dictum est n. 134. sed ita, ut fingatur non possidere; quia quoad Juris effectum perinde est, ac si non possideret, saltem secutâ sententiâ condemnatoriâ. Ad 3. id pariter intelligendum est de mala fide, non Theologicè tali, sed quæ talis est fictione Juris ad hoc introducta, ut quasi in suspensio sit Præscriptio, & pendeat ex eventu ferendæ sententiæ.

241 3. Per sententiam, ut n. 138. dictum est, interruptitur etiam Præscriptio triennalis.

Ubi tamen duo sunt advertenda. Primum est, quod hæc sententia debeat esse Judicialis. Hinc non interruptitur Præscriptio legitime inchoata adversus Romanam Ecclesiam per sententiam Excommunicationis singulis annis feriâ V. in Cœna Domini promulgari solitam in occupantes, & detinentes bona ad eam Ecclesiam spectantia; quia Judicialis non est, & solum fertur in mala, non bonæ fidei possessores. Covar. Reg. possessor p. 2. §. 12. n. 5. Molin. D. 78. n. 18. Pal. §. 16. n. 5. Haun. n. 343. Pirh. n. 135. Wiest. n. 160. Alterum est, quod sententia, etiam judicialiter lata, si tantum facta sit quoad certos articulos, non extendatur ad alios etiam similes, in quibus possessio non est interrupta: unde quoad hos adhuc perget præscriptio, sicut pergit possessio, & bona fides; nam mala fides respectu unius partis, aut Juris non tollit bonam fidem respectu alterius, ut dixi supra n. 79.

Quæritur 6. quando rescindi Præscriptio jam completa possit? 1. posse occasione læsionis, quam præscriptione passi sunt ij, qui beneficio restitutionis in integrum gaudent, Conceditur autem hæc secundum dicta Libr. 1. tit. 41. à n. 1. 1. minoribus quadriennio integro à die, quo majores facti sunt, i. e. ab anno 25. completo ad annum 29. completum l. un. C. si advers. Usucap. l. fin. C. de tempor. in integr. restit. l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est.

2. Ecclesijs, & alijs Pij locis integro quadriennio numerando à die, quo re intellecta integrum fuit restitutionem petere c. Ecclesia 1. & c. seq. de in integr. restit. in 6. junct. l. fin. cit. Ratio est, quia Ecclesiæ sunt instar Minoris, & pupilli, cum sicut hi, ita etiam ipsæ per alios debeant agere.

3. Civitatibus, Oppidis, pagis &c. in rebus saltem mobilibus; nam si per Usucapionem triennalem adversus ipsas præscriptum est petere adversus læsionem restitutionem in integrum possunt; quia & ipsæ privilegio Minorum gaudent, cum non fecus, ac Minor, aliorum operâ, & ministerio gubernentur.

4. Majores ex causa, quæ Judici justa videbitur l. hujus edicti 1. §. fin. ff. ex quib. caus. major. l. Prætor ait 1. §. si quis propter 9. ff. de itiner. actus. privat. l. fin. C. de tempor. in integr. restit. Idque locum habet etiam in Præscriptione longissima, ut notat Bartol. in l. Prætor ait cit. Pal. tr. 31. D. un. p. 22. §. 17. n. 3. quia cit. Legibus restitutorio in integrum Majoribus conceditur absolute ex justa, & probabili causa. Vide plura

libr. 1. tit. 41. à n. 2.